



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber XIII. De Iustitia & Ira Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

D E
 PERFECTIÖNIBVS
 MORIBVSQVE
 DIVINIS
 LIBER XIII.
 DE IVSTITIA ET IRA DEI.
 CAPVT PRIMVM.

De varia Iustitia acceptione, & quadruplici debito.

*Iustitia duo
 involuit, de-
 bitum & æ-
 qualitatem.*

DIXIMVS de *Misericordia* eiusque operibus & beneficiis; sequitur vt dicamus de *Iustitia & seueritate Dei*, eiusque effectis in rebus creatis. Nomen *iustitia* duo involuit, *debitum & æqualitatem*: in eo enim ratio iustitiæ consistere videtur, quod præstet ad æqualitatem id quod debet, & suo opere totum debitum exhauriat. Vnde vbi vel non est debitum vllum, vel nulla æqualitas aut proportio, ratio (vt cum quis ex liberalitate & omnino gratis aliquid alteri confert, vel supra infræ meritum & ius illius) ibi ratio iustitiæ locum non habet. Cum autem variis modis possit aliquid esse *debitum*, fit vt varia quoque sit *iustitiæ* ratio: ex parte autem æqualitatis non variatur; quia omnis iustitia ad perfectam æqualitatem inclinatur, quantum quidem assequi potest. quod si non assequitur, id non ex ratione ipsius virtutis, sed ex defectu facultatis subiecti provenit.

*Quadruplex
 debitum.*

Potest autem aliquid dici *debitum* quatuor modis. Primò, Ra-
 tione naturalis congruentiæ & connexionis cum altero. quo modo
 dici-

dicitur *debitum* singulis rebus, quod est necessarium ad naturalem earum perfectionem, verbi gratia, certa quantitas, figura, temperamentum, instrumentum, cooperatio, vires, prout cuiusque natura postulat. Huic debito respondet iustitia quædam generalis, quæ nihil est aliud quàm affectus tribuendi cuique rei, quod ei ad perfectionem naturæ est debitum seu necessarium. Et hæc iustitiæ ratio est perfectissimè in Deo respectu omnium creaturarum; quia in eo est voluntas conferendi singulis quod eis secundum naturam congruit, idque ad exactam æqualitatem: & hoc etiam modo S. Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 8. *iustitiam* Deo tribuit. Satis tamen improprie hic voluntatis affectus eiusque executio *iustitia* vocatur, quia etsi illæ perfectiones dicantur debitæ creaturis, Deus tamen non est illis debitor (sicut nec figulus vasi luteo debitor est, vel pictor imagini) sed solum est debitor sibi ipsi, seu suæ sapientiæ, vt iuxta huius præscriptum, & prout tantum artificem decet, operetur, vt pulchre docet S. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. qua ratione dicimus pictorem, qui imaginem quam cepit, imperfectam relinquit, lineamentis vel coloribus congruentibus omissis, iniuriam facere non operi, sed arti suæ & nomini. Dicuntur itaque illæ perfectiones debitæ, quia necessariae ad rerum complementum, & perfectum statum. Hinc enim sequitur, opificem debere illas conferre, si velit res à se conditas esse completas secundum naturæ conditionem, & sapientiæ suæ præscriptum. Sed hoc nihil est aliud quàm debere sibi ipsi, suo decreto & sapientiæ.

3. Secundò dicitur aliquid *debitum* ratione obligationis legis, quo modo in natura rationali debita est conformitas tum affectus, tum operis cum lege æterna. Itaque secundo modo *iustitia* vocatur voluntas quæ hanc conformitatem vult & procurat, & per eam legi satisfacit. Vnde huius *iustitiæ* opus est omnis actus virtutis, quatenus est conformis legi. Hoc modo *iustitia* passim accipitur in S. Scriptura, & ab ea homines dicuntur iusti, quia conformes affectu legi æternæ, & præstant opere quod illi legi debent. Vtrum autem *iustitia* sic accepta distinguatur in nobis à charitate & obedientia, & à virtutum collectione, dubitari potest: nam in ista tria rectè hoc nomen competit. Virtutum enim collectio reddit hominent eiusque affectus & actiones legi conformes, similiter obedientia & charitas, sed ex diuerso motiuo: nam charitas excellentiori modo id præstat, nimirum, quia id Deo gratum est; obedientia, quia id debitum præcepto Superioris: ceteræ virtutes ob pro-

Primo, Quia congruit natura, eiq; debetur ut sit perfecta in suo ordine. Iustitia generalis. Ista iustitia ratio est perfectissimè in Deo.

Secundo, Ratione obligationis legis. Conformitas affectus & operis cum lege est debita in natura rationali.

An sit distincta à charitate, obedientia, & virtutum collectione.

priam honestatem, quæ pro diuersitate materiæ diuersa se offert. Ex triplici itaque motiuo potest hæc conformitas operum cum diuina lege procedere, charitatis, obedientiæ, & virtutum particularium. His addi potest motiuum quartum, nempe, quia debitum legi, non vt lex connotat obligationem impositam Superiore, sed vt dicit regulam recte operandi, & dictamen rectæ rationis: voluntas enim & omnes actiones ab ipsa dependentes, debent rectæ rationis iudicio & sententiæ conformari. Ille itaque affectus, quo hæc conformitas in omnibus motibus & actibus liberis appetitur & procuratur, quædam iustitia est; quæ tamen ab affectu generali honesti non videtur distingui.

*Iustitia hæc
est perfectis-
sima in Deo.*

Etiam iuxta hunc secundum modum *iustitia* perfectissimè est in Deo: nam voluntas diuina ab intrinseco & ex sua essentia est perfectissimè & completissimè conformis legi æternæ, ac proinde iusta ac recta; imò est ipsa iustitia & rectitudo per se subsistens, omnis iustitiæ ac rectitudinis regula. Etsi enim voluntas diuina nostro modo concipiendi dirigatur à lege æterna, non tamen id ita accipiendum, quasi per se sit indifferens & informis, sicut omnis voluntas creata per se informis est, iustitiæ & iniustitiæ capax; sed id fit propter essentialem ordinem istarum potentiarum & actuum earum, ratione cuius voluntas essentialiter supponit intellectum, & actus voluntatis actum intellectus: quia non potest concipi voluntas exire in actum, nisi proposito per intellectum obiecto, in quod tendat. Vnde necesse est idem concipi in Deo, quatenus istæ potentia inter se, & actus earum inter se ratione distinguuntur. Itaque lex æterna dicitur dirigere voluntatem, quatenus vel proponit rectitudinem in quam voluntas feratur: vel est ipsa rectitudo obiectiua mente concepta & voluntati ostensa, quod ego verius existimo: quia lex non est actus intellectus, sed obiectum & regula quædam practica intellectu concepta, & voluntati proposita, vt patet in omnibus legibus & regulis humanis. Vnde cum lex dicitur esse *dictamen rationis rectæ*, per *dictamen* non est intelligendus actus intellectus, vel iudicium rationis, sed obiectum seu regula practica ratione concepta, iudicata ac probata. sed de hoc alibi plura.

Simili modo dicimus Prudentiam dirigere ceteras virtutes, cum tamen ipsæ per se rectæ sint, nec possint in vllum actum præuam exire. Porro sicut voluntas creata, cum non sit recta nec conformis legi æternæ aut rationi rectæ per essentiam suam, efficitur recta in actu primo per habitum virtutis superadditum, & in actu secundo per

per operationem illius habitus, dum illo utitur: ita voluntas diuina considerata ut in actu primo, per essentiam suam est recta & adæquate conformis legi æternæ in actu primo tamquam suprema & vniuersalis virtus per se subsistens; & considerata in actu secundo, per eandem suam essentiam est recta & conformis legi æternæ in actu secundo, qui nihil est aliud quàm complacentia & amor rectitudinis lege æternæ contentæ, & per intellectum proposita. Actus enim primus & secundus hic non distinguuntur ex parte rei distinctione actuali, sed solùm virtute. Nam est vna eademque simplicissima rectitudo formalis duplicem vim habens, nimirum actus primi, quatenus præstat in Deo (semotis imperfectionibus) quod habitus virtutum in voluntate creata; actus secundi, ut præstat in ipso id quod virtutum operatio in creatis. Simili modo intellectus diuinus per se consideratus ut in actu primo, est ipsa sapientia in actu primo: ac proinde incapax omnis erroris & omnis ignorantia, quia ipsa sapientia non potest esse errori vel ignorantia obnoxia. Ratione verò actus sui est sapientia in actu secundo, omne verum & intelligibile penetrans, comprehendens & ambiens. Hic tamen actus secundus non distinguitur in Deo ab actu primo, nisi ratione & virtuali discrimine. Omnis itaque iustitia huius modi, & rectitudo siue obiectiua siue formalis, est in essentia diuina tamquam in fundamento & prima radice omnis veri & boni omnis legis ac regulæ, & virtutis omnis, in intellectu obiectiue tamquam in proponente, & consequenter tamquam in regula & mensura quatenus mediante ipsius actu regula rectitudinis concipitur & proponitur: in voluntate formaliter ut virtus & iustitia vniuersalis, tum in actu primo, tum in actu secundo. Commendatur hæc iustitia Dei in S. Scriptura omnibus illis locis, quibus laudatur eius sanctitas & rectitudo: quia verè nihil est aliud quàm sanctitas omnem virtutem & bonitatem moralem formaliter & eminenter complectens.

Tertio dicitur aliquid *debitum* ratione promissionis factæ alicui, præsertim sub conditione alicuius operis, quæ promissione ius ^{Ratione promissionis.} aliquod tribuitur non tamen perfectæ iustitiæ. Sic sæpè dominus promittit aliquid seruo, quod tamen si non præstet, non potest accusari proprie iniustitiæ, sed solùm inconstantia & leuitatis in promissis rescindendis, quodque fidem promissorum non seruet. Similes promissiones innumeræ interueniunt in conuictu humano.

Sic parentes multa promittunt liberis, ut mores eorum forment, &

domini seruis, & artifices mechanici iis qui aliquid opus ab eis fieri postulant. Huic debito respondet virtus quædam, quæ dicitur *fidelitas*, cuius munus est præstare quod promiseris, eo nomine quia promissisti, etiamsi alteri nullum ius perfectum sit acquisitum. Decet enim virum prudentem, constantem, & rationem sui honoris habentem, implere quod promissit, & dicta sua verificare.

Iustitia quæ dicitur veritas, in Deo perfectissima

Psal. 39. 44.
56. 84. 88.
110. &c.

Ratione iuris perfecti.

hæc virtus passim in Scripturis vocatur *iustitia & veritas*, estque in Deo perfectissime: quia omnia quæ promissit, exactissime præstat. nulla est in eo inconstantia, nulla leuitas, nulla obliuio, nulla penitentia promissorum, si nos conditionem promissioni adnexam præstiterimus. Hinc in Scripturis tantopere Dei veritas & iustitia commendatur.

Quartò dicitur aliquid *debitum* alteri ratione iuris perfecti, cui nisi satisfiat, censetur fieri iniuria. Hoc magis proprie & strictius deberi dicitur, quia in altero existit ius perfectum, quod non est in potestate & arbitrio alterius, qui debitor dicitur. Nascitur autem hoc debitum ex duplici capite. Primò, Ex rei alienæ acceptance, ut fit in contractibus, damnis & iniuriis illatis. Quid enim in ære est, rem alterius tibi vsurpes an vastes? Unde qui rem alienam destruit, vel famam honoremve lædit, non minus est debitor, quam qui rem aufert & sibi seruat. Secundò, Ex officio distribuendi certa quadam proportione bona communia. Hinc duplex oritur iustitiæ forma huic duplici debito respondens: quarum altera dicitur commutatiua, & satisfacit debito priori; altera distributiua, quæ satisfacit posteriori. Iustitia commutatiua considerat quid & quantum debeatur alteri ratione rei acceptæ, aut damni vel læsionis irrogatæ, & hoc totum iubet refundi, ut inter datum & acceptum, inter læsionem & compensationem fiat æqualitas. Distributiua considerat proportionem quam singulæ partes communitatis habent ad bona vel onera communia, & iuxta hanc proportionem singulis distribuit, ut eadem sit proportio inter ea quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones eorum, quibus fit distributio. Onera enim distribuenda iuxta proportionem facultatum, officia & beneficia iuxta proportionem aptitudinis, subsidia iuxta proportionem inopiæ. Itaque illa constituit æqualitatem rei ad rem, hæc constituit æqualitatem proportionis ad proportionem. Vtrum autem violatio iustitiæ distributiue per se obliget ad restitutionem, alibi dictum est, neque ad hunc locum pertinet.

CAPVT II.

Virum Iustitia respiciens Ius perfectum sit
proprie in Deo.

7 **H**is positis, quaeritur, Vtrum hoc genus iustitiae proprie sit in Deo. Quidam affirmant. Primò, Quia pactum sub conditione operis inducit obligationem iustitiae praestito opere: at qui inter Deum & hominem intercedit pactum sub conditione operis. promittit enim illi vitam aeternam, si seruet mandata: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* ergo opere perfecto obligatur lege iustitiae ad vitam aeternam conferendam. Secundò, Deus in S. Scriptura comparatur conductori, homo operario conducto, vita aeterna mercedi & denario diurno. imò ipsa vita aeterna vocatur *merces honorum operum*. quae omnia indicant debitum lege iustitiae. Tertiò, Rursus vita aeterna vocatur *corona iustitiae*, & *brauium*, & *vincula* praesens *stadium*, & bona opera *cursum in stadio*: atqui brauium & corona debetur lege iustitiae ei qui cursum vicerit. Quartò, Christus ex rigore iustitiae meruit sibi gloriam corporis, & omnem honorem quem post resurrectionem accepit, & generi humano remissionem peccatorum (si tamen Christo per Baptismum inserantur) ergo in Deo est obligatio iustitiae respectu Christi, ac proinde est capax huius obligationis & strictae iustitiae.

An hoc genus iustitiae sit in Deo. Prima sententia affirmat.

Matth. 10.

Matth. 5.

Luc. 6.

1. Cor. 3.

2. Tim. 4.

1. Cor. 9.

Philip. 2.

8 Alij verò negant: quia obligatio strictae iustitiae imperfectionem quamdam supponit vel involuit in eo qui obligari dicitur, quae in Deo non reperitur, nimirum aliquid esse extra eius dominium & plenam potestatem. Verum non puto hic esse discrepantiam quae ad rem pertineat, sed solum de nominis usurpatione. Itaque vendum distinctione. Si enim nomen *Iustitia* accipiatur strictè, ut ab Aristotele eiusque sectatoribus solet accipi, ut significat virtutem quae supponit obligationem ad alterum, qui perfecte alter est, hoc est, qui est sui iuris, ita ut non sit veluti pars aut possessio eius qui dicitur obligari, sic non est proprie iustitia in Deo. Ratio est, quia in Deo non potest esse obligatio ad alterum: ac quae orta sit ex iure quod is qui suus est, sui que mancipij, in ipsum habeat. cuius vltior ratio est, quia omne ius quod creatura potest competere in aliquem, est in dominio Dei, & quidem magis proprie.

Secunda sententia negat.

Iustitia strictè accepta apud Aristotelem.

In Deo non potest esse stricta obligatio ad alterum: ac

proinde nec in iustitia strictè accepta apud Aristotelem.

perfectè quàm in dominio creaturæ, ac proinde ratione huius iuris non potest Deus cēferi strictè obligatus creaturæ tamquam alteri, sed potius est obligatus sibi, suæque ordinatiōi & promissioni, quàm ulli alteri, ut S. Thomas generatim affirmat 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. & 1. 2. q. 114. a. 1. Deinde non solum omne ius creaturæ est in dominio Dei, sed etiam ipsa creatura secundum se rotam, idque non contractu aliquo vel accessoria seruitute, sed naturaliter & essentialiter; ita ut nec ipse Deus possit eam sui iuris facere, vel extra suum dominium collocare. Vnde sequitur, Deum de illa & omni eius iure posse statuere pro suo arbitrio tamquam de re sua, adque vera in illam iniuria: ac proinde in ipso non esse obligationem strictæ iustitiæ, & consequenter nec iustitiam strictam, quæ huiusmodi obligationem supponit. Confirmari id potest ex Aristotele lib. 5. Ethic cap. 6. ubi docet non esse obligationem iustitiæ patris ad paruulum filium, & domini ad seruum; eò quòd non sint omnino distincti. Nam filius est veluti pars quædam patris, & seruus est instrumentum & res domini: nemini autem in seipsum est ius iustitiæ, aut ratio iniuriæ. *Ius, inquit, vel domini in seruos, vel patris in liberos, non est idem atque hæc, sed tamen simile. Neque enim cuiquam in sua iniustitia locus esse potest absolutè: atqui possessio seu mancipium, & liberi usque eò dum parui sunt, nec à patre seruicij, partis instar sunt. seipsum autem nemo capit ledere. non est igitur cuique in seipsum iniustitiæ locus.* Vnde sequitur, multò minùs esse obligationem iustitiæ inter Deum & creaturam: quia hæc cum vniuersis bonis & iuribus suis plenissimè & essentiali subiectione est in dominio Dei. Secundo, Quando is qui promittit aliquid sub conditione operis, non id facit commodi sui causa, sed solum ob commodum operantis, ut eum ad præstandum debitum officium, vel ad aliud bonum adducat, non obligatur lege iustitiæ; non enim intendit tam arctè se obstringere, sed secundum lege veritatis & constantiæ: sicut cum parens filio, ut eum ad studia literarum adducat, promittit pulchram vestem; vel dominus mancipio, si feritatem exuerit, pecuniam: atqui Deus non exigit à nobis bona opera in commodum suum, sed solum in commodum nostrum, ut nos per illa reddamus idoneos, in quos ipse suam beneficentiam effundat largiendo regnum. ergò non intendit se nexu iustitiæ nobis obstringere.

Cur Deus à nobis exigit bona opera.

Dices: Deus in bonis operibus spectat gloriam suam, & hac ratione exigit illa in suum bonum. Sed etiam ea in honorem Dei cedant,

dant, & Deus à nobis honorari velit, ratio tamen proxima & propria curam velit à nobis fieri, non est ut ipse inde aliquid honoris caperet; sed partim quia naturæ lege sunt ipsi debita, partim ut nos per ea idonei reddamur, quibus ipse sui ipsius suorumque bonorum consortium impertiat. Hæc enim prima fuit intentio illius exuberantissimæ bonitatis nempe Diuinitatis & beatitudinis suæ nos efficere participes. Ad hunc finem illam ex nihilo condidit, & omnibus ornamentis ac præsiidiis congruis instruxit. Ut autem conuenienti modo id fieret, oportuit ut ipsa quoque creatura se ad tantum bonum disponeret, & illo se dignam pro suo modulo præstaret. Ob hanc causam exiguntur opera bona, non ut per ea Deus honorem acquirat, pro quo veluti in compensationem nobis repondat regnum: ipse enim bonorum nostrorum non eget, pleni sunt cæli & terra gloria eius; & omnis creatura sua specie illum laudat & honorat, cum ipsamet sit clarum potentia, sapientia, bonitatis, prouidentia ipsius testimonium. parua admodum est, quæ per opera nostra fit accessio. Exigit quidem à nobis obedientiam ac honorem, sed sicut patet à filiis, in bonum nostrum, & quia iure naturæ hæc debita. Ea enim est naturalis conditio naturæ nostræ, ut sine his perfecta aut bona esse nequeat, & his contraria cederent in damnum naturæ, & Dei iniuriam. Nec obstat quod *omnia propter semetipsum operatus sit Dominus*; quia omnia tandem ad gloriam ipsius tamquam ad vltimum finem necessariò referuntur. Sed de hoc plura infra. Cum de vltimo fine tractabitur. Cum igitur Deus opera bona exigat solum in commodum nostrum, & quia iure naturæ debita, & perfectioni naturæ necessaria; qua fronte nos poterimus pro eis mercedem exigere tanquam lege iustitiæ nobis debitam, quasi aliquid indebitum in gratiam Dei fecerimus, quod tantum bonum stricto iure mereatur?

10 Tertio, Obligatio iustitiæ commutatiuæ non habet locum, ubi creditor nihil accipit à debitore nisi suum. Qui enim pro re sua aliquid promittit, videtur gratis promittere, cum non intendat aliquid non suum acquirere, sed solum suam liberalitatem declarare. Atqui Deus nihil à nobis potest accipere nisi quod ipsius est, & quidem multo magis ipsius quam nostrum, cum omnia opera bona sint ipsius dona, & omnem suam æstimationem ab ipsius gratia contrahant; quomodo ergo possumus illum vinculo iustitiæ nobis obstringere? Nec refert, quod promissione gratuita possim alteri fieri debitor lege iustitiæ: quia id verum est respectu eius qui mihi

*Deus à nobis
nihil potest
accipere nisi
quod ipsius
est.*

mihî pleno iure non subest, & cùm interdo me tam arctè obstringere. Verùm non præsumitur talis obligatio, quando proximo fit pro re aliâ debita. Vide S. Thomam 1. 2. q. 31. a. 1.

Quartò, Si esset obligatio iustitiæ, veram nobis iniuriam faceret, redigendo nos in nihilum: & si nos ad sui visionem non admitteret, sed extra se quamdam beatitudinem naturali statui Angelorum similem tribueret, possemus de iniuria conqueri; & si esset tribunal, litem intendere, & per sententiam iudicis compellere. Quæ non videntur consentanea summo iuri & dominio quod in creaturam habet.

Quintò denique, Si quis rectè consideret, non est propriè pactum vel contractus reciprocus inter Deum & hominem, sicut inter conductorem & operarium: sed Deus apud se constituit benè operantibus dare consortium regni, malè operantes addicere penis inferorum, & hanc suam ordinationem nobis reuelavit, vt nobis consulamus. Hæc ordinatio nobis reuelata & acceptata, vocatur pactum & conuentio, cùm tamen eius vis non pendeat ab acceptatione nostra, sicut fit in veris pactis. Simile est cùm Princeps generalis facit legem, qua statuit, vt in viros bonos officia & honores Reipublicæ conferantur, in improbos supplicia: quæ lex non est propriè pactum siue contractus, quamuis ob quamdam similitudinem ita rectè vocari possit, quando consideratur vt singulis applicata & acceptata. quod maximè locum habet in S. Scriptura, qua talem generalem ordinationem hominibus manifestatam idiotismo Hebræo vocat *pactum*, *fædus*, *fundamentum*, &c. præsertim post acceptationem. Sicut enim in pactis duorum voluntates conueniunt in vnū, vt vterque præstet quod sibi vicissim promittunt; ita & hîc. Deus enim sua ordinatione promittit regnum, si homo seruet mandata; & vicissim homo acceptando cultum Dei, proponit & promittit (absque tamen intentione inducendi sibi nouum vinculum) seruare mandata, vt regnum, promereatur. Vnde si peccet, dicitur violare fædus quod spondit, & pactum quod Deus ipsi proposuit, & ipse acceptauit. Hæc tamen omnia solum indicant similitudinem & affinitatem cùm veris pactis, nec sufficiunt ad inducendum vinculum strictæ iustitiæ: alioquin homo lege iustitiæ commutatiuæ teneretur seruare mandata, & omnia eius peccata essent contra iustitiam commutatiuam, sicut ea quæ contra vera pacta committuntur. Ex his satis manifestè liquet, in Deo non esse obligationem strictæ iustitiæ erga homines; ac proinde

Inde neque iustitiam illam, quæ talem obligationem supponit, & perfectum ius alterius respicit. quod non solum de commutativa, sed etiam distributiva intellige: hæc enim non minus distinctionem & stricti iuris rationem inter debentem & cui debetur requirit, quàm illa, ut quidam volunt: vel si hoc non placet, satis est quòd per hanc bonorum communium fiat distributio: Deus autem non communia sed sua distribuit.

- 12 Ex quibus intelligi etiam potest, inter Christum & Diuinitatem non intercessisse strictæ iustitiæ rationem, cum nec talis obligatio seu debitum stricti iuris interueniret. Si enim Christus consideretur ut homo, sic totus erat in dominio Dei, & Deus de omni ipsius iure poterat disponere: si ut Deus, nemini ad seipsum est obligatio iustitiæ. Deinde ius quod Christus habet erga Deum, competit ei ratione humanitatis: per hanc enim solam & distinguitur à Diuinitate, & meriti ratio ei conuenit, & potuit cum Diuinitate pacisci, ac proinde ius erga illam acquirere. At quidquid ei competit ratione humanitatis, est in dominio Diuinitatis, sicut & ipsa humanitas: ergo non potest inducere obligationem iustitiæ. Præterea, inter Christum & Diuinitatem non interuenit proprii nominis pactum, alioquin Christus lege iustitiæ Patri obstrictus fuisset subire mortem: at non ex iustitiæ, sed obedientiæ debito mortem subiit, iuxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Vnde & Dominus sæpe intinuat, se mandato Patris pro hominibus mortem oppetere, &c. Denique æstimatio operum Christi maxima ex parte erat à Diuinitate.

Diuinitas non est obstricta Christo obligatione strictæ iustitiæ.

Ioan. 10, 18. item c. 12, 49 c. 14, 31.

Rectè tamen Christus dicitur satisfecisse secundum iustitiæ rigorem, quia obtulit pretium secundum iustitiæ rigorem sufficiens, imò excedens, quod Diuinitas acceptauit. Sicut qui pro captiuo offert Principi lytrum, quòd longè pluri sit quàm debitum captiuo, dicitur illum redimere secundum iustitiæ rigorem, quamuis Princeps non teneatur acceptare, aut possit illud pretium alia aliqua ratione exigere, & sibi vindicare. Nam in huiusmodi locutionibus magis æqualitas rerum quàm obligatio personarum consideratur.

Christus secundum iustitiæ rigorem satisfecit pro nobis, & nos redemit.

- 13 Si verò hoc nomen *iustitia* sumatur paulò latius, ut passim accipitur in Scriptura (quæ acceptio etiam & satis propria est, & vulgò visitata) sic ponenda est iustitia in Deo, & quidem perfectissime. Vulgò enim *iustitia* dicitur, cum operi congrua merces integre redditur, siue is qui reddit sit obstrictus nexu iustitiæ, siue solus

Iustitia latiore ratione ut nihil imperfectiora includit, est in Deo.

2. Tim. 4.

fidelitatis: & siue is cui redditur, sit sui iuris, siue in potestate red-
 dentis. non enim in vsu istius nominis vulgò tam spectatur vis
 obligationis, quàm æqualitas & congruentiæ eorum quàm iustitia
 efficit. Sic Deus dicitur *iustus iudex*, quia mercedem statutam in-
 tegrè soluit tum in bonis, tum in malis. Sic Apostolus ad He-
 bræos 6. ait: *Non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri, &
 dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis,
 & ministratis. inlinuans fore iniustum, si non remuneraret.* Loqui-
 tur autem de operibus bonis, non per peccatum mortificatis, &
 rursus per pœnitentiã viuificatis, vt quidam volunt (nulla enim
 vel vmbra esset iniuriæ, etsi horum obliuisceretur) sed de ijs, quæ
 numquam fuere mortificata, vt colligitur ex Concil. Trident.
 sess. 6. cap. 16. Hæc enim tenetur remunerare ratione suæ promil-
 sionis: sicut dominus si seipso promisit mercedem aliquam pro
 opere alias debito, tenetur illam soluere, non obligatione strictæ
 iustitiæ, sed promissionis & fidelitatis. Verùm cum duplex sit pro-
 missio; alia merè gratuita, alia remuneratoria, nimirum quæ fit
 sub conditione operis; illa obligatio, quæ ex promissione remu-
 neratoria præstito opere nascitur, maior est, & obligationi strictæ
 iustitiæ similior, quàm illa quæ oritur ex promissione merè libera-
 li, nullum opus requirentes. Vnde ius illud quod iusti per bona
 opera habent ad regnum, est maius quàm id quod ex merè liberali
 promissione nascitur: & consequenter, obligatio quæ est in Deo
 ad remunerandum, maior est quàm obligatio omnino gratuite
 promissionis, minor tamen quàm strictæ iustitiæ, sed medio quo-
 dam modo se habet. Hinc fit vt in Deo sit quædam iustitiæ ratio
 medio modo se habens inter strictam iustitiã & fidelitatem gra-
 tuitæ promissionis, qua reddit cuique quod operibus cuiusque ex
 ipsius promissione est debitum. Talis enim iustitia nullam imper-
 fectionem includit, cum non supponat vllam obligationem stri-
 ctam, ad alterum qui sit sui iuris, & continet omnem perfectio-
 nem, quæ in iustitia stricta reperitur. Nam omnis perfectio iustitiæ
 in eo sita est, quod cuique integrè tribuat id quod ei aliquo modo
 debitum est. Non enim perfectio iustitiæ pendet ex perfectione
 debiti vel obligationis cui satisfit; sed ex perfectione æqualitatis
 quam inducit, dum omnibus quidquid aliqua ratione debitum
 est, etsi minima, ad exactam æqualitatem tribuit. Confirmatur ex
 Dionysio De diuinis nominibus cap. 8. vbi sic ait: *Iustitia Dei cele-
 bratur, vt omnibus ea quæ meritis cuiusque conueniunt, distribuens,* &
 con-

congruentem mensuram, & pulchritudinem, & ordinem, & dispositionem, omnesq; distributiones & classes iuxta eam que verè est iustissimam definitionem cuique determinans, & omnibus proprie cuiusque operationis auctor existens. Cuncta enim divina iustitia ordinat, & suis terminis circumseribit, & omnia ab omnibus mera & impermixta custodiens, omnibus rebus, quæ cuique pro sua dignitate congruunt, largitur. Quibus verbis generalem illam iustitiæ rationem ad omnia creata se extendentem, & cuique congruentia exactissimè & cumulativissimè tribuentem describit, quæ omnem iustitiæ modum ac formam complectitur. Quatenus enim constituit æqualitatem inter præmium & meritum, tribuens cuique præmium meritis ipsius congruens, eatenus habet formam iustitiæ commutatiuæ: vt verò constituit æqualitatem inter proportionem præmiorum & proportionem meritorum, efficiendo vt ea sit proportio inter præmia, quæ est inter merita (hoc enim ad pulchritudinem illius regni pertinet, estq; etiam per se à Deo intentum) habet formam iustitiæ distributiæ. Eandem formam seruat, si spectetur quatenus singulis naturis rerum distribuit ornamenta & qualitates prout cuique congruit. Denique quatenus condignis pœnis vindicat peccata, est iustitia vindex. Conueniunt autem hæ tres formæ, quod per eas tribuantur singulis ea quæ cuique pro suo modo sunt congrua & debita. Hæc itaque ratione hæ tres formæ sunt in Deo perfectissimæ. Verùm quia potissimum hic agitur de iustitia vindice, quo modò ea Deo conueniat, paulò fusiùs explicandum.

CAPVT III.

Vtrum in Deo sit propriè Iustitia vindex.

DISTINXIMVS supra quadruplex debitum, & cuique propriam iustitiæ rationem aptauimus, & quo modo in Deo reperitur ostendimus. Quatuor illis debiti acceptionibus seu rationibus potest addi quinta, qua aliquid dicitur *debitum in pœnis*. Pœna enim dicitur debita crimini, hoc est criminoso, non quod ipse ad eam ius aliquod habeat, sicut cum alicui dicitur deberi præmium: sed quia illi congruit, estq; necessaria vt rectus ordo per eum violatus instauretur. Vnde etiam debita est Reipublicæ, cuius ille criminosus est pars, & cuius legem violauit. Huic debito respondet virtus quædam quæ *iustitia vindex* seu *vindicatrix* dicitur, & residet

Z z 2 in

in eo qui Reipublicam gubernat. Lex enim est bonum publicum, quod peccato violatur. Vnde vindicta, quæ est castigatio peccati, & violati boni publici quædam instauratio, ad eum solum pertinet, cui boni publici cura commissa.

*Distinguitur
à iustitia
commutativa.*

Dices, hanc virtutem non videri distingui à iustitia commutativa, quia gubernator Reipub. lege iustitia commutativa tenetur fontes plectere. Deinde in vindicta spectatur æqualitas rei ad rem, nimirum pœnæ ad culpam, & sicut per culpam læditur Reipub. ita per pœnam fit ei compensatio quædam & restitutio, vel satisfactio. Respondeo, in eo similem esse iustitiæ commutativæ, quod constituat æqualitatem inter rem & rem, & compenset quodammodò læsionem irrogatam. Diferepat tamen, quia non supponit strictam obligationem ad hanc compensationem faciendam, sicut fit in iustitia commutativa. Næc obstat quòd Iudex & Gubernator teneatur lege iustitiæ pœnam infligere: quia hæc obligatio est ex peculiari contractu vel quasi contractu cum Republica. Duplex enim obligatio potest in Iudice considerari: prior erga reum, ad eum puniendum; altera erga Reipub. cui est obstrictus per officium vel pactum, ut ei ius administret fontes plectendo. Illa est iustitiæ vindicativæ, hæc iustitiæ commutativæ: sed vno actu utriusque satisfacit: hoc ipso enim quo fontem secundum legem iustitiæ vindicativæ punit, obligationi qua tenetur Reipub. satisfacit. Itaque iste actus est elicitus proximè à iustitia vindicativa, imperatus à iustitia commutativa, vel etiam legali. Est enim veluti debitum quoddam quod solvit Reipublica, & quo consulit bono communi, in cuius executione dirigitur lege iustitiæ vindicativæ; cum hoc sit opus huic iustitiæ proprium, & proximè ad eam pertinens. Quòd autem hic affectus sit virtus in eo qui publica potestate fungitur, perspicuum est: est enim bona pars iustitiæ, à qua Iudices iusti dicuntur, & ratione cuius magna laude sunt digni: nam instaurare ordinem iustitiæ violatum, est per se bonum & honestum, & magnum Reipub. ornamentum: denique sine vindicta scelerum bonum Reipub. maximum (quod est legum observatio) constare nequit.

*Hunc affectum
in Magistratu
esse virtutem.*

*Esse in Deo
iustitiam
vindicativam.*

Porro hanc virtutem propriè esse in Deo, ex eo colligitur, quòd nullam imperfectionem in suo conceptu inuoluat aut supponat, sicut iustitia commutativa, aut distributiva strictè accepta: non enim requirit strictam obligationum in vindicante cui satisfaciat, ut patet in Reipub. libera, & in Principe supremo, qui potest pœnam

nam condonare. Quòd si aliquando talis obligatio reperitur (vt in Iudicibus inferioribus, & Gubernatoribus) hæc prouenit ex peculiari contractu vel obligatione erga Rempub. vel eos quibus ius dicere tenentur; estque planè extrinseca huic virtuti. neque in Deo locum habere potest, cum ipse officium (vt ita dixerim) gubernandi mundi non à mundo, sed à se habeat. Ita que neque reo, neque mundo obstrictus est nexu iustitiæ ad peccata plectenda, sed solum sibi ipsi; quia decet valde ipsius iustitiam & sanctitatem, & quia ita statuit ad suam gloriam, & bonum vniuersi. Neque verum est quod quidam dicunt, ad vindictam requiri doloris acerbiter, aut damnum illatum, quod inflictione peccati emendetur, & veluti sarcinatur; quia sufficit publicam legem & maiestatem legislatoris esse violatam; etiam si inde nullum aliud incommodum sit secutum. hoc enim per se satis magnum malum est, vt poena compensari debeat.

Ratio vindictæ non postulat vt vindex dolorem aut damnum senserit.

16 Quòd etiam in Deo hæc virtus excellentissima sit, ex multis intelligi potest. Primò, quia prouidentia diuina & mundi gubernatio constat operibus misericordiæ & iustitiæ vindicatiuæ: quid quid enim Deus facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ & benignitatis ergo hominem, vel iustitiæ peccatorum vindicis. & hoc modo intelligi potest illud Psalm. 34. *Omnes via Domini misericordiæ & veritas.* Itaque iustitia vindex occupat dimidiam, vt ita dixerim, prouidentiam & gubernationis diuinæ partem.

Esse virtutem excellentissimam in Deo.

Deinde, ipsa est causa omnium ferè bonorum operum que fiunt in mundo, & salutis electorum. Si enim non esset vindicta peccatorum, pauci admodum præstarent se dignos caelo, pauci virtutem colerent, sed propè omnes in cæno vitiorum volutarentur. Perinde enim est vindictam non esse, & prouidentiam vel Numen non esse, at hoc inducere in animum, est fons infinitorum malorum, vt Psalm. 13. insinuat: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, non est peccatorum vindex.* quid hinc secutum? *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad vnum.* Sicut sublata iustitia vindicatiua à Republica, omnia essent plena latrociniis & sceleribus contra iustitiam civilem? (vt meritò dixerit Aristoteles, solem è mundo tollere, qui iustitiam tolleret) ita sublata vindicta diuina, omnia essent plena sceleribus, saltem occultis, aduersus omne genus virtutum: longè enim ampliùs minis & suppliciiis terrentur homines à flagitiis, & ad officium virtutis incitantur, quàm beneficiis & promissis alliantur.

Est causa bonorum operum que fiunt in mundo, & salutis electorum.

ciantur. Plerique etiam eorum qui nunc virtutem colunt, rebus istius vitæ contenti essent, nec multum promissione futurorum mouerentur, nisi metu maioris mali, vindictæ inquam diuinæ, vrgerentur. *Initium sapientiæ timor Domini*, inquit Scriptura, hoc est, caput & summa totius sapientiæ est, nosse diuinam iustitiam, eiusque timorem semper præ oculis haberet quantumuis enim in virtutem quis profecerit, sæpè tamen eget hoc stimulo; tum vt ad bonum se excitet, tum ne ad malum in tentatione declinet. Itaque sapientissimè facit, qui hunc timorem numquam deponit. Præstat autem hoc bonum ipsa iustitia vindicatiua, non per modum principij elicientis, sed per modum obiecti terrentis & monentis, vt malum, quod ipsa intentat, euadamus.

Compensat iniuriã Deo illatam. Et instaurat ordinem.

Tertiò, duo alia bona hæc iustitia efficit, idque velut principium directè eliciens, ob quæ eminentissima virtus censi merito debeat: alterum est, iniuriæ diuinæ compensatio; alterum, violati ordinis in vniuerso instauratio. Duo enim mala peccato perpetrâtur; alterum, iniuria Dei, dum peccator ipsum contemnit, & se illi quodâ modo præfert, sibi plus sumens, & Deo detrahens: alterum, perturbatio recti ordinis, dum se diuinæ subiectioni subtrahit, & publicæ rectitudinis statum peruertit. Maximum malum est contemptus & iniuria in Deum, quo nullum maius animo concipi potest: ingens quoque malum est recti ordinis perturbatio in suprema natura creata, nimirum rationali. Sicut si elementa mutatis suis sedibus permiscerentur, vel se supra cælos efferrent, ingens esset perturbatio, & grande malum mundi. at maior est & horribilior perturbatio, cum natura rationalis, quæ præstantissima est, (ob quam totus iste mundus est conditus, vt eius seruiat obsequiis) se sui Cõditoris subducit gubernationi suo arbitrio viuere volens, se illi opponens, & quodammodò præponens. Vtrumque malum emendatur per iustitiam vindicatricem. Dum enim peccatori debita pœna infligitur, iniuria Deo derogata quodammodò compensatur: nam qui contra voluntatem suam aliquid ab altero est passus, satisfactionem quamdam accipit, dum videt illum vicissim contra suam voluntatem pati: & qui ab altero contemptus est, illius pœna & depressione honoratur. Præterea, dum pœna infligitur, violatus ordo instauratur. Nam qui se diuinæ gubernationi subtraxerat, suo arbitrio agere volens, iterum eidem subiicitur, dum pati cogitur arbitrio Dei. Sicut igitur inordinatio illa quam peccatum inducit partim contra Deum, partim contra rectam partium

partium vniuersi dispositionem, est maximum malum, & maxima in mundo deformitas: ita iusta vindicta, qua vtraque ista inordinatio quodammodo tollitur vel emendatur, est maximum quoddam bonum & summa pulchritudo in vniuersi istius amplissima Republica. Quid enim pulchrius & rectissimo ordini iustitiæ congruentius, quam vt qui Deo iniuriam agendo irrogauit, is patiendo (cū aliter non possit) ei satisfaciat; & qui se contra Deum extulit, à Deo infra se deprimatur; & qui voluntati & affectui nimium indulgit, ea quæ voluntati & affectui sunt aduersa sustinere cogatur; & qui subduxit se gubernationi misericordiæ, incidat in seueritatem iustitiæ? Accedit, cū omnis inordinatio, quæ est in elementis & vniuersa natura corporea, orta sit ex peccato, (si enim peccatum non fuisset, singulari prouidentia tota natura rerum fuisset cohibita ne homini esset noxia aut molesta;) correctæ inordinatione peccati per iustam vindictam, omnem quoque perturbationem, quæ occasione peccati in reliquis erat, sublatum iri, eaque omnia suum congruentissimum ordinem & statum consecutura. Ex quibus perspicuum est, iustitiam vindicatricem, quæ in iusta vindicta tantum bonum spectat, & directè præstat ac perficit, esse præstantissimam in Deo virtutem. Hinc crebrò in S. Scriptura sicut Dei misericordia, ita etiam iustitia ac seueritas nobis proponitur & commendatur, & variis modis describitur, vt eam benè apprehendamus, eaque perterriti à peccatis auocemur, Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius offertis munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terra. & Psal. 96. Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terre; vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annuntiauerunt cali iustitia eius, & viderunt omnes populi gloriam eius, &c. Matth. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Denique sæpissimè ingeminatur nobis in Scriptura, *redditurum Dominum vnicuique secundum opera ipsius.* Omitto loca plurima, quibus seueritas Dei & magnitudo vindictæ describitur, vt Isaie ultimo, Ioël. 2. Sophon. 1. Malach. 4. Matthai 24. Apocalypsis 6. &c.

Verum quia vtilissima est diuinæ iustitiæ consideratio, (cū per hanc maximè à peccatis absterreamur, & ad bonorum operum studium

*Pulchritudo
operu iusti-
tia vindictæ.*

studium ac tolerantiam malorum huius vitæ præstandam impellamur,) tria nobis hæc potissimum tractanda sunt. Primum, De præcipuis diuinæ iustitiæ operibus. Secundum, De multitudine & magnitudine pœnarum, quas diuina iustitia peccatoribus infliget. Tertium, De grauitate peccati, ob quam tantas pœnas meretur.

CAPVT IV.

De primo diuina Iustitia opere.

SICUT magnitudo diuinæ misericordiæ ex operibus cognoscenda est, ita etiã magnitudo seueritatis & iustitiæ vindiciæ. Causa enim inuisibilis & abdita in Deo, non potest à nobis melius quàm ex effectis & operibus cognosci, nec virtus quàm ex suis functionibus. Porro opera diuinæ iustitiæ in particulari sunt innumera, possunt tamen ad decem generalia reuocari.

Strages Angelorum.

Primum sit strages Angelica, cum tot Angelorum myriades ob vnum peccatum cælo deiecit, & diuina hereditate spoliatos in tartarum deturbauit, æternis suppliciis cruciandos. Vbi considera, Deum nullam rationem habuisse nec multitudinis eorum innumera; nec pulchritudinis eximia, qua ceteris omnibus creatis antecellebant; nec excellentiæ naturæ, quæ Dissimilatis erat imago simillima; nec magnitudinis ingenij, quo omnes rerum naturas penetrabant & comprehendebant; nec totius illius boni quod ex salute eorũ prouenisset; non visionis beatæ, quæ ipse semper in mentibus eorum resplendisset; non amoris, quo illum super omnia amassent, ac omne bonum illi vouissent, & æternum fuissent gratulati; non laudis & hymnorum, non gratiarum actionis, quibus in omnem æternitatem illum celebrarent; non suæ gloriæ quam ipse ex tot beatis spiritibus in sempiternum erat percepturus. Pari modo non curauit mala, quæ ex eorum damnatione scisciat obuentura; nimirum æternas in Diuinitatẽ blasphemias & contumelias, pertinacem gloriæ diuinæ oppugnationem, humani generis lapsum, & totius mundi peruersionem, quæ ipsi furore tanti supplicij perciti, erant inuecturi. Hæc omnia nihili fecit, tanta bona contentus perdere, & tantis malis locum dare, ut eorum peccatum vindicaret. Poterat omnia ista mala præcauere, & omnia supradicta bona saluare, si vel vnus horulæ spatium ad pœnitentiam illis concessisset. Nemo enim ex illis fuisset, quem non statim pœnituisset

tuisset facti, omnes subito, minus consideratum affectum fuissent detestati, quanto putas cum dolore? quàm acri & incensa contra seipfos ira? quanta humilitate petissent veniam, & suam in Deum accusassent ingratitude? quanto ad ipsum feruore animi fuissent conuersi? Sed tam vehemens & velox ira Dei fuit, vt ne momentum quidem illis concesserit, sed in ipso flagranti delicto, nihil tale suspicantes, sententia damnationis veluti fulmine ictos, cælo præcipitauit, & æternis inferorum pœnis sine vlla spe remissionis addixit. O incomprehensibilem diuinæ iustitiæ seueritatem! ô sententiam terribilem & intolerabilem! ô infelices spiritus! quid vobis in mentem venit ita salutem vestram prodigere? quid magnæ illi luci, qua præditi eratis, obtutis, quod minus attenderetis ad damnata & tormenta peccantibus impendentia? nimirum intenti nimirum pulchritudini vestræ à Deo reuens acceptæ, & illius cæco amore capti, in superbiam elati estis, bonisque vestris, tamquam à vobis ea haberetis, flagitiose intumuitis, obliui Conditoris vestri. Quis ista perpendens non exhorrescat, & cum timore ac tremore salutis suæ non inuigilet? Si enim *qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem; quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum à tinea peccati, quæ ex concupiscentia nascitur, consumentur, & æterni ignis fient pabulum, nisi misericordia Dei adiuti, omni studio peccatis restiterint?* Si angelis suis, Regni sui Principibus, semel dumtaxat peccatis non pepercit, sed *inferni rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos;* quid fiet hominibus vilissimis & ingratis, post infinita beneficia tot peccata perpetrantibus, nisi serua & celeri pœnitentia, vitæque correctione iram impendentem auerterint?

Colligitur ex Damasceno lib. 2. De fide c. 1. Scoto in 2. 7. & aliis, quod ex electione negant in spiritibus nasci immutabilem adhesionem.

Iob 4.

1. Petri 2.

CAPVT V.

De secundo opere Iustitiæ diuinæ.

22 SECUNDVM opus iustitiæ vindicis fuit punitio peccati Adami, quæ etiam admodum terribilis fuit, & multiplex. Nam Primò, ipse cum tota sua posteritate spoliatus fuit gratia diuina, ac iure regni cælestis, immortalitate, Paradiso, & tota felicitate illius statutus. Ecce quantis bonis & huius vitæ & futuræ, quàm innumerabiles homines ob vnius delictum spoliantur? Si ob crimen perditionis Princeps virum nobilem, & omnem eius posteritatem priua-

Punitio peccati Adami.

Primò, Priuatur omnibus bonis illius statutus.

ret suo favore, & nobilitate, & omnibus dignitatibus, honoribus, officiis, & opibus illi collatis, mitteretque in exilium miserabile, egestate & multis calamitatibus conficiendas, omnemque indignos omni sua gratia in posterum censeret, grauis admodum pœna videretur. At tantò est maior pœna peccati Adami, quantò meliora sunt bona quibus priuat, & peiora mala quibus obiicit, & plures numero quos perstringit, quantoque peius est ad cœlestia & æterna, quàm ad temporalia & terrena indignum ac inhabilem esse. Ex hoc tamen exemplo æquitas huius pœnæ utcumque intelligi potest.

*Secundò,
Euertit ordi-
nem prioris
providentiæ.*

Secundò, Euertit totum illum prouidentie ordinem & gubernandi rationem, quam ex se constituerat, & mundo preparauerat: longè enim alia quàm sit modò, fuisset rerum gubernatio si peccatum non extitisset. Omnia sic administrata fuissent, ut homini nihil officeret, nihil molestiam aut incòmodum adferret, nihil ad peccandum sollicitaret, sed omnia illi & oblectationem & obsequium præbuisent, & ad salutem fuissent auxilio. Non illum frigus afflixisset aut æstus, non fames aut sitis, non paupertas & nuditas, non morbus & infirmitas, non senectus & mortis necessitas, non passionum turbidi motus, non carnis aduersus spiritum rebellio, non ignorantia & mentis stupor, non propensio ad malum, & languor ad bonum, non mille huius vitæ sollicitudines & dolores; non fuissent illi creature in laqueum & musculam, in ruinam & damnationem. Omnia hæc incommoda per suauissimam illam prouidentie rationem, quàm Deus tunc preparauerat, impedirentur. Sed propter peccatum Deus hanc prouidentiam sustulit, & res suis motibus ferri, & in hominem undique interiùs & exteriùs sauire permisit, nulla ratione malorum habitæ quæ inde homini erant obuentura. Quare isto prouidentie reparato subducto, omnia illa mala, tamquam agmine facto, in genus humanum vnà cum mortalitate irruerunt. Sicut si Princeps, qui singulari cura regnum in pace & omni felicitate conseruabat, ob scelus Præfecti curam illam deponeret, tutamen regni auferret, & frænum, quo continebantur hostes omnes qui regno nocituri erant, laxaret, permittens illud incendiis, cædibus, & intestinis cladibus concideret, & ad extremam deuolui miseriam. Indicat hoc Scriptura Sapientie 1. docens omnia à Deo condita esse salutaria, nec nocitura fuisse homini, nisi peccato suo id commeruisset.

*Tertiò, Per-
mittit tyran-
nidi diaboli.*

Tertiò, Permisit Deus ob hoc peccatum totum ferè genus humanum tyrannidi diaboli. Antè nihil ille in mundo habebat iuris,

ris, nemini poterat nocere, nec unquam potuisset, si innocentia perstitisset, nec homines illum, ut modo faciunt, metuissent, sed initar canis vel serpentis contempissent & abegissent. Sed postquam primi parentes nostri à Deo recesserunt, & diaboli suggestioni potius quam diuino mandato morem gesserunt, magna ei potestas permisa est, qua sensim totam pœnè posteritatem in suam seruitutem pertraxit. Vnde factum ut toto ferè orbe per aliquot annorum millia, tamquam princeps mundi, & Deus huius sæculi habitus sit & cultus, & etiamnù multis locis colatur. Iustum enim est, ut à quo quis victus est, eius seruituti subiici sinatur; nec meliorem fortem tandem consequatur, quàm is cui se subiecit. Ingens sanè hoc erat pœna, tam impij tyrannide premi, qua & in omne genus vitiorum pro ipsius arbitrio impellebantur, & in eandem simul trahebantur cum ipso damnationem. Magnum esset supplicium, si Princeps ob vnus culpam regnum permitteret vastari à latronibus, eorumque seruituti subiici: sed adhuc maius & acerbius, si simul statueret, ut illi qui latroni seruissent, simul cum latrone paribus tormentis consumerentur. Simile cogita in Deo, qui ita mundum diaboli permisit tyrannidi, ut eos qui ipsi morem gerunt, vnà cum ipso æternis incendiis addici velit.

Ioan. 14, 30.
& c. 16, 11.
2. Cor. 4, 4.

25 **Quartò**, Permisit infinitam hominum multitudinem ruere in æternum exitium. Eth enim esset præscijs tanti mali secuturi, si iustitiam originalem & prouidentiam illam primam subtraheret, nihilominus non curauit, quasi in vindicandò illo peccato tantam cladem parui fecerit. Sicut cum Princeps alicuius potentis inobedientiam vindicaturus, nihil de pœna vult remittere, etiam si videat inde totius regni securitatem vastitatem, & maximam partem internectione delendam.

Quartò, Permisit maximam partem ruere in exitium.

Ex his utcumque intelligi potest, quanta & quàm inæstimabilis fuerit iustitiæ diuinæ seueritas in primorum parentum peccato vindicando.

CAPVT VI.

De tertio opere diuina Iustitia.

26 **TERTIVM** opus fuit cataclysmus generalis, quo totus mundus (exceptis octo hominibus) deletus, & omnes hominum labores opesque euerfa. Magna videtur vindicta, cum ciuitas aliqua

Tertium, Cataclysmus.

opulenta funditus evertitur ædibus incensis, & omnibus qui eam incolebant internecone deletis. At illi non aliqua ciuitas aut regnum, sed totus terrarum orbis cum omnibus suis incolis, opibus & ornamentis deletur. Erant homines illius æui omnibus naturæ dotibus ornatissimi, procera statura, optimè formato corpore, ingenti robore, summa audacia, rei bellicæ peritissimi, temperamento firmissimo, vitam & ætatem florentem in multa sæcula producentes: erat etiam eorum maxima & innumerabilis multitudo, totumque pænè orbem occupabant; adeò vt valdè credibile sit, tunc longè plures homines extitisse, quàm hoc nostro sæculo extent. Cùm enim diutissimè viuerent, & corpore essent firmissimo, omnesque propagationi essent intenti, & multi plures acciperent vxores, fiebat vt intra trecentos vel quadringentos annos in multas diffunderentur myriades, & singuli magna possent implere regna, nouis assidue subnascentibus & veteribus non denascentibus, sed simul ad septingentos, octingentos, vel nongentos annos perseuerantibus. Itaque plurimi ex maioribus videbant maximas prouincias à sua stirpe occupatas, & ducentas vel trecentas hominum pyriades ex se procreatas. Si enim ex vno Iacob intra trecentos annos tot procreati fuere, vt exercitum sexcentorum millium virorum à viginti annis & supra confecerint, præter mulieres & paruulos (quorum numerus facilè duplo maior erat) cum tamen homines vix septimam partem illius prioris ætatis attingerent: quantum existimabimus multitudinem sæculo illo primæuo per annos 1656. procreatam, cùm homines vitæ adeò essent diuturnæ, & aliis subnascentibus priores non nisi post multa sæcula deficerent? Deus tamen infinitam istam multitudinem, & omnia illorum ornamenta, quæ tanti sunt apud homines, nihili fecit, & omnes internecone, immensa vi aquarum superne demissa, sustulit. Cui enim deest timor Domini, quantumuis humanis excellat præfidiis & ornamentis, nihili apud Deum æstimabitur. *Si quis fuerit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua (timor Domini) in nihilum computabitur*, inquit Sapiens. qua de re multa habentur Sap. 9. & Baruch 3. Mirus profectò erat iste puniendi modus, & mirificè declarans diuinam potentiam, cui omnis creatura seruit, & infinitæ rationes suppetunt nos castigandi.

Sed vnde tanta aquarum copia? Quidam putant magnam terræ vel aëris portionem in aquam fuisse conuersam. Sed quibus experimentis huiusmodi conuersio probari possit, non est facile ostendere.

*Multitudo
hominum il-
lius ætatis.*

Exodi 12.

*Vnde tanta
aerarum vis.*

dere. Alij aquam cauernis terræ inclusam sursum erupisse, & terræ superficiem inundasse, & hęc esse fontes abyssi magnæ, quos ruptos Scriptura memorat. Verum & hoc difficile est creditu: illa enim aqua non nisi vi, & contra naturæ suæ impetum sursum propelli poterat; nec cauernæ illæ vacuæ relinqui, sed aëre impleri, & firmissimè concludi debebant, ne aquæ refluerent. Itaque vim adferri assiduè naturis elementorum oportebat vt diluuium fieret, & factum consisteret. At longè conuenientius erat, vt hæc omnia secundum propensionem & impetum naturalem elementorum fierent. Deinde, si aqua erupisset è terra, non effecisset pluuiam, sed exundationem. At Scriptura apertè indicat, fontes abyssi magnæ, & cataractas cæli effecisse pluuiam: *Rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuiæ super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Itaque fontes abyssi magnæ non sunt aquæ subterraneæ, sed sublimes & cælestes, quæ solæ pluuiam efficiunt. Confirmatur: Quia aquæ subterraneæ non poterant sursum ascendere & effundi nisi initio inundationis, cum terræ superficies necdum erat aquis cooperta; non autem postea cum cœpit tota circumdari: quia aëri qui in locū aquarum subiret, omnis aditus tunc ad illas cauernas erat interclusus. At Scriptura indicat, fontes abyssi magnæ non esse cōclusos nisi completo iam diluuiō, & cessantibus pluuiis: *Clausi sunt, inquit, fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibita sunt pluuiæ de celo.* Itaque fontes abyssi non sunt aquæ subterraneæ. Nec est neesse ad istas angustias confugere: sat magnæ aquarum copia supra cælos, vt S. Scriptura loquitur, præparata erat. Eò enim abyssus magna pro maiori sui parte translata est, vt ex 1. cap. Geneleos colligitur. Ibi eius fontes querendi, vbi & cæli cataractæ. Creauit Deus initio maximam vim aquarum, vndique terram altissimè ambientem, quam S. Scriptura dicto cap. 1. Geneleos *abyssum* vocat. Huius maximam partem secundo die posuit supra firmamentum, dum eam in vaporem subtilissimum extenuatam, supra mediam regionem per vastissima spatia circumquaque dispersit & expandit. Hoc modo diuisæ sunt aquæ quæ supra firmamentum sunt, ab aquis quæ sub firmamento. Hæ abundè sufficiebant ad diluuium efficiendum, vt non opus fuerit vel alia elementa diuina virtute in aquam conuerti, vel aquas subterraneas sursum educi. Fuerunt igitur hæ aquæ quæ olim extenuatæ per immensum aëra diffusæ erant, rursus densatæ, & ad primæuam reductæ conditionem, applicatis ad hoc causis

idoneis, vnde suo pondere in terras circumquaque ruerunt, non simul & confertim, sed sensim, & miseris mortalibus daretur locus pœnitentiæ, vt D. Chrylostomus Homil. 2. in Genesim notauit.

Pluit itaque per vniuersum orbem quadraginta dies, & quadraginta noctes, & sensim ita excreuit aquarum cōpia, vt tandem cacumina montium quindecim cubitis superaret, vndique cingens & operiens orbem terræ, sicut sphaera superior inferiorem: ad quod efficiendum, tanti temporis per totum orbem pluuia, si quis bene consideret, abundè sufficiens videri possit, cum fuerit vehemētissima. Itaque nullus erat effugij locus, cum nusquam pedem figere, nusquam se tenere possent, pondere corporis ad ima deprimente, & aquarum vi spiritum intercipiente. Et quamuis multi arcas, tabulas, vel arbores montatas (vt fieri solet in naufragiis) apprehenderent; tamen tandem partim inedia, partim labore & fluctuum impetu victi & fatiscientes obruti sunt, aquis centum quinquaginta diebus antequam inciperent minui terras obtinentibus. Poterant octo vel decem dies sufficere ad omnes extinguendos; nihilominus ad centum quinquaginta productum est hoc diluuium, vt iræ diuinæ magnitudo illa cladis continuatione declararetur. Eo tempore expleto, cœperunt aquæ decrescere, ad eò vt post septuaginta dies cacumina montium ~~apparentia~~ inciperent, & post alios centum quatuor iam terra esset exsiccata, ita vt Noë cum omnibus animantibus egredi arcam, & commodè per terram ambulare possit. Itaque quadraginta diebus diluuium creuit, centum quinquaginta stetit, & centum septuaginta quinque imminutum est & ablumptum, ac proinde anni spatio tota res peracta. Porro illa aquarum imminutio facta est vi spiritus siccantis, & aquam rursus in vaporem extenuantis, & rursus per immensos aëris tractus supra mediam regionem, vnde venerat, dissipantis. Hanc vim non naturalem, sed diuinitus impressam fuisse, credibile est, & ipsa sacra Historia indicat. ~~Quia~~ enim ventus tam breui tempore tantam aquarum copiam haurire, aut ita extenuare vi sua naturali potuisset.

CAP. VI.

De quarto Iustitia diuina opere.

- 30 **Q**UARTVM iustitiæ diuinæ opus cernitur, cum inusitatis modis ^{Inusitate} supra communem rerum cursum vastantur vrbes, populi, ^{clades.} regna, vel igne cælitus demisso, vel terra dehiscente, vel maris incurfu, vel spiritalis naturæ ministerio. Sic Sodoma & Gomorra, Adama & Seboim cum vicinis locis ignis sulphurei imbre deletæ sunt. Dominus (inquit Scriptura) *pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem à Domino de celo, & subuertit ciuitates* ^{Gen. 19.} *has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores urbium, & cuncta* ^{Punitio So-} *terre virentia.* In quo supplicio multa sunt consideranda, quæ seueritatem diuinæ iustitiæ nobis insinuant. Primò, Quòd igne sulphureo cælitus demisso puniti, qui vel ipso aspectu est maxime ^{igne sul-} horribilis, colore fusco & ex obscuro flauescente, odore teterrimo, ^{phureo.} ardore maxime penetrabili, contagio & adhæsiōne pertinaci. Unde Scriptura diuina ignem inferni sulphureum esse multis locis ^{Psalm. 10.} insinuat, utpote ad torquendum impios aptissimum. Est in locis ^{Apoc. 14. 19.} subterraneis huius materiæ maxima copia: nam præter ipsum sulphur merum, quo terra abundat, plurima alia quæ effodiuntur ^{& 20.} sulphur habent admixtum. In aëre verò facile concresecit, & ex ^{Isaie 30.} fulminibus constat, quæ planè sulphurea esse, res afflatæ testantur. ^{& 34.} Facile fuit Deo, ministerio Angelorum materiam inflammabilem, halitumque pinguem per aëris vastitatem diffusum subito colligere, eumque in sulphur liquidum densatum inflammare, & impetu instar nimbi vel torrentis deorsum mittere. Sic *pluit super* ^{Psalm. 10.} *peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis* ^{Corinth.}
- 31 Secundò, Quòd subito & ex inopinato oppressi, cum adhuc in ^{Suauis op-} lectis suis vel somno sopiti, vel suis impuritatibus dediti volu- ^{pressi.} rentur: nam manè sole oriente hæc clades illata, cum eadem nocte ^{Gen. 19.} tota ciuitas à minimo vsque ad maximum, ut ait Scriptura, ad ædes Lot congregata nefandum crimen in hospites ipsius patrare conata fuisset. Itaque valde verisimile est, nullos vel paucissimos ex illis saluatos. Cum enim omnes essent improbissimi, & timore diuini Numinis destituti, (nam in omnibus illis locis non reperiuntur vel decem iusti, & si qui fortè erant, eos ad familiam Lot per-

pertinuisse putandum est) difficillimum fuit in tanto terrore & tam repentina clade veram concipere contritionem qua Deo reconciliarentur. In diluuiō concessa longa mora, & pœna non erat tam atrox, vnde facilius poterant pœnitentiam agere: hinc nullæ datæ induci, sed repenti horrendo & acerrimo supplicio extincti. Quod etiam insinuat Ieremias cap. 4. Lamentationum, cum ait, *Sodōmam subuersam in momento, & non cepisse in ea manus*; hoc est, non fuisse captam & euersam ab hominibus, sed vi diuina subito deletam.

*Etiā par-
tuli deleti.*

Tertiō, Fuisse hoc incendio inuolutos non solum adultos, siue viros siue feminas, sed etiam pueros & infantes (nolente Domino sobolem inuisæ gentis superesse) anigrantia quoque & cetera terræ bona. Aded displicet illi peccatum, vt non solum in auctores, sed etiam in eorum proles & substantiam vniuersam defeciat, omnibus è medio sublati. Sicut enim Deus amat pios, & propter illos omnia quæ ad illos pertinent, fouet & protegit: ita odit impios, & illorum causa sæpè ea quæ ad illos pertinent, subuertit, vel sua protectione destituit.

*Acrimonia
incendij, &
amplitudo.*

Quartō, Hoc incendium aded fuisse vehemens & vastum, vt per septuaginta duo milliaria in longum & nouemdecim in latum (quod ex Iosepho & aliis auctoribus colligitur) se extenderit, & intra terram penetrarit, eaque profundè exusta magnum sinum veluti maris alueum in ea effecerit; qui mox aquis confluentibus impletus, ingentem lacum constituit variis notis & nominibus celebrem. Est enim in eo bituminis è fundo ebullientis maxima copia (vnde & *lacus asphaltites* dictus est) quod ex mistione illa sulphuris & reliquæ materiæ de celo lapsæ vi ignis concreuisse est credibile. Aquæ sunt spissæ, fœtidæ, fordidæ, & aded malignæ excessu quodam salis & amari, vt nihil in eis viuere possit, sed necesse sit breui emori quidquid viuens per Iordanem inuectum, vel forte iniectum aliunde fuerit. vnde & *mare mortuum* appellatum est. Exhalat assidue, tamquam os infernale, tetrum & pestilentem vaporem, quo vicina omnia tam montana quàm campestria afflata, per viginti circiter passuum millia in solitudinem redacta & veluti exusta cernuntur. hinc *mare solitudinis* dictum est. Itaque nihil ibi crescit præter arbores quasdam, quarum aliæ sunt planè steriles & squalidæ, aliæ ferunt fructus quosdam externa specie instar pomorum, qui vbi carpuntur, mox in fauillam cum ingenti fœtore faciunt.

*Nota infer-
nalis illius
loci.*

Quintō,

33 Quintò, Considerandum est peccatum ob quod ira diuina tan-
topere in illos exarserit, & regionem antea instar paradisi amœ-
nam, vt Scriptura testatur, in lacum stygium, & squalorem infer-
nalem conuerterit. Etenim multis peccatis fuerint obnoxij, præ-
cipuum tamen ob quod ita puniti fuere, erat præpostera libido, vt
ex cap. 19. Genesis colligitur, vbi solum illud refertur. Idem aperte
indicatur in Epistola Canonica S. Iudæ, cum ait: *Sicut Sodoma &
Gomorraha, & finitima ciuitates simili modo exfornicata, & abeuntes
post carnem alteram, facte sunt exemplum, ignis æterni pœnam susti-
nentes.* vnde & nomen crimini ab illa vrbe inditum. Aperte huic
peccato talis pœna constituta: nam ardor sulphuris congruebat ar-
dori impuræ concupiscentiæ, & terribus illius odor infamæ fœ-
ditati, quæ in hoc peccato continetur. Vnde S. Gregorius lib. 14.
Moralium cap. 10. in illa verba cap. 8. Iob, *Aspergatur in habitacu-
lo eius sulphur, dicit per sulphur peccatum carnis designari. Quid
est aliud sulphur nisi fomentum ignis? Verumtamen sic ignem nutrit,
vt grauissimum fetorem exhalet. Recte igitur in sulphure peccatum
carnis accipitur, quod dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam
fetoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat: & dum fetoris
sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis subsequenti-
bus quasi nutrimenta subministrat.* Hinc ostendit, conuenienter So-
domæ peccatum igne sulphureo punitum fuisse, vt pœna culpæ
responderet. Legimus etiam in Historia Peruana, gentem quam-
dam giganteæ magnitudinis huic flagitio deditam simili modo
igne cælesti fuisse adsumptam: descendisse enim è cælo specie visi-
bili iuuenem instar solis splendentem, qui fulminibus supernè in
eos vibratis omnes deleuerit, ita ex traditione maiorum narrare in-
colas, & etiamnum reperiri vestigia adustionis tum in saxis, tum in
ossibus eorum qui exincti. Et nostra memoria in Pegu India
Orientalis cum populus esset innumerabilis, & aliquot millioni-
bus capitum censeretur, variis cladibus ad maximam paucitatem
est reductus: cuius causa non videtur alia, quam quod huic iceleri
præ ceteris populis fuerint addicti. Quod si Deus illud peccatum
adeo seuerè in infidelibus illis, eius iustitiam & præcepta ignoran-
tibus, vindicauit, & in ipsa vindicta tot iræ suæ vestigia impressa
reliquit; quid expectandum Christianis, qui post tot beneficia di-
uinitus accepta, post notitiam diuinæ voluntatis, post tot vltionis
exempla, ab illo non abstinent? Tanta profectò eos manet tor-
mentorum acerbitas, vt acrimonia supplicij Sodomorum illius

*Propter quod
peccatum ita
puniti.
Gen. 13.*

*Eiusdem
meminit Io-
sephus à
Costa lib. 1.
c. 19. De na-
tura noui
Orbis.*

comparatione leuis meritò videri possit, si iusto examine pensentur.

Alia exempla plurimà diuinæ seueritatis per ignem in hac vita
 Num. 16. Core ducentos quinquaginta viros immisso igne absumpserit, &
 postridie rursus ob murmur in Moysen & Aaron quatuordecim
 4. Reg. 1. milia & septingentos similiter igne, tamquam fera quadam vel fa-
 tellite immisso, deleuerit: quòd ad iussionem Eliæ duo duces quin-
 quagenarij, vterque cum sua turma, cælesti igne perempti sint: vt
 Hiatus terra. omittam innumera quæ apud profanos Scriptores habentur. Hiatus
 terra: cuiusque tremoribus maximæ clades sæpè propter peccata vr-
 bibus & regionibus illatæ. Sed præ ceteris notabilis fuit punitio
 Dathan & Abiron, qui ob murmur contra Moysen & Aaron, re-
 pente disrupta & deliscente terra, cum suis tabernaculis & omni-
 bus ad ipsos pertinentibus absorpti descenderunt viui in infer-
 num, vt Scriptura Numerorum 16. narrat. Fuere isti typus schi-
 smaticorum & hæreticorum nostrorum, qui se ab obedientia capi-
 tis, quod Deus in Ecclesia constituit, subducunt, eique detrahen-
 tes, & auctoritatem eius calumniantes, se illi opponunt, tamquam
 Qui desinat
 zur pe. istos
 mutinatio-
 res. ipsi sint electi à Domino, qui populum Dei doceant & regant.
 Vnde non minor his vindicta à Domino expectanda. Si enim qui
 in cultu & regimine illo typico & umbratili se populi Ducibus à
 Deo delectis opposuere, tam horrendè puniti fuere, quid fiet his
 qui in veritate & luce Evangelica erigunt se aduersus Vicarium
 Christi, & sibi auctoritatem regendi docendique in Ecclesia Chri-
 sti arrogant: non est dubitandum, quin incomparabiliter maiora
 sint horum tormenta futura quàm illorum qui Moyse restiterunt,
 etsi non in hac vita, vt illi, deliscente ima tellure absorbeantur.
 Paruum videbatur plebi illorum peccatu, neque tantam meruisse
 vindictam, vnde murmurabant contra Moysen & Aaron, quasi ipsi
 à Domino præter meritum talem penam impetrassent, eosque
 tamquam interfectores populi Domini accusiabant. Sed hæc mur-
 muratio adeò displicuit Domino, vt mox ignem in populum im-
 miserit, qui repente quatuordecim milia hominum & septingen-
 tos absumpsit: & nisi preces supplicationesque Moysis & Aaronis
 interuenissent, longè maior clades interfectorum fuisset. Opti-
 mum sanè documentum multis frigidis & insipientibus nostri æui
 Catholicis, qui peccatum hæreticos parui æstimant, neque vindicta
 graui aut infamia dignum censent: hæreticos si politicam quam-
 dam

dam honestatem seruent, viros probos & honoratos iudicant, nec eos hæreticos, sed *viros religionis reformatæ*, & hæresim *religionem reformatam* vocari volunt. Hos nimirum manet ignis ille qui murmuratores illos causam Dathan & Abiron excusantes vel extenuantes corripuit.

CAPVT VIII.

De plagis Ægyptiacis.

36 SED mirè Deus suam potentiam ac seueritatem, clementia tamen temperatam, ostendit in tam multiplici & acerba Pharaonis & Ægyptiorum castigatione, qua eorum duritiam frangere, & ipsos ad obedientiam compellere voluit. Describit eam Moyses Exodi 7. 8. 9. 10. 12. Dignissima sanè est consideratione, vt homines intelligant, quàm varij & mirabiles Deo suppetant modi, quibus & peccata impiorum castiget, & iustos ab eorum oppressione vindicet.

Plaga Ægyptiaca.

Prima plaga fuit, aquarum in sanguinem conuersio. Cùm enim Aaron mandato diuino fluminis aquam virga percussisset, repente omnia flumina & riuus, omnes paludes & lacus Ægypti, & omnes aquæ quæ per totam illam regionem in cisternis, vasis ligneis aut faxeis continebantur, versæ sunt in sanguinem. Hinc omnes pisces mortui, & summa corruptio cum incredibili foetore, putrefacta tanta sanguinis copia, secuta est: non enim potest sanguis diu extra venas, quæ illius conseruandi vim habent, consistere quin putrescat. At quanta ista res erat? quàm immensa in illa magna regione aquarum copia, quam Nilus fluuiorum facillè omnium maximus, tam longo tractu, in totum diuisus alueos interluit & rigat? Et hæc omnia momento temporis, ab eo loco vbi Ægyptum attingere incipit, vsque ad mare, in verum sanguinem versa; & assidue omnis aqua Nili ex Æthiopia veniens eo ipso quo Ægyptum attingebat, aqua esse desinebat, & sanguis fiebat, ac permanebat donec in mare deuoluta pristinam naturam reciperet. Durauit ea res per septem dies, quo factum est, teste Philone l. 1. De vita Moysis, vt Ægyptij omni aquarum auscium solatio destituti, maxima siti fuerint afflicti, & plurimi siti enecti iacerent in truijs, non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia. Quod si quis tentaret tam horrendo potu solari malum, confestim acri dolore viscerum corripiebatur, vt refert

Prima plaga, Conuersio aqua in sanguinem.

Exodi 7.

Iosephus libro 2. Antiq. Israelitæ verò et si omnis aqua pariter apud illos in sanguinem versa esset (nam id per totam Ægyptum commune erat, vt Scriptura testatur) nihil tamen inde incommodi in vsu illius sentiebant: nam eo ipso quo ipsi bibere tentabant, repente in aquam dulcem, qualis antè fuerat, conuertebatur. Ex his facile est considerare, quanta vel in hoc vno diuini flagelli ictu miracula extiterint, quantum diuinæ potentæ & iustitiæ specimen, quàm multiplex impiorum afflictio.

*Secunda,
Ranarum.*

Exod. 8.

Huic successit altera non minùs molesta, nimirum ranarum. 37
Cum enim iussu Domini Aaron extendisset manus super aquas Ægypti, statim ex omnibus fluuiis, riuus & paludibus Ægypti emerfit infinita ranarum copia, quæ totam operuit terram, omnes occupans campos, omnes vias, omnia oppida, vndique penetrans, in domos, in cubicula, in lectos, in penum, in furnos, in ollas & mensas, in esculentas & poculentas, omnia suo contagio inquinans & fœdans. Nemo nec domi consistere, nec foras egredi valebat, omnibus locis hac colluue coopertis. Torquebat omnes sensus, oculos deformi & abominabili specie, aures ingratiſſima & assidua ceaxatione, nares ingenti fœtore, gustandi & tangendi sensum suo contagio inquinando omnia & fœdando. Erant enim homines obſiti hac lue omni ex parte, vt nullum esset effugium. Itaque fractus Pharaos spondet abeundi copiam, vt hoc maſo liberetur, & postridie ad preces Moysis, omnis illa ranarum multitudo, quam nulli exercitus, nulla hominum vis aut industria delere potuisset, repente per totam Ægyptum extincta est, ita vt ne vna quidem superesset. quo viso, impius ille Rex redit ad priorem animi obstinationem, & promissa sua rescindit.

Tertia, Sciniphum.
Exodi 8.

Quare Dominus tertiam plagam immisit, quæ fuit sciniphum. 38
Cum enim Aaron iussu Domini virga sua puluerem percussisset, omnis puluis terræ per totam Ægyptum versus est in sciniphum infinita examina, quæ instar nebulae totum impleuere aërem, ipsis etiam solis radiis sua multitudine contipata interceptis. Ecce nouum genus calamitatis prorsus intolerabile; quod si diu durasset, omnes Ægyptios vel perdidisset, vel solunt vertere coëgisset. Erant sciniphes culicum genus minutissimum, spiculo viuo eoque acutissimo cutem terebrans, & proboscide sanguinem exugens. His aër plenus erat, & omnia loca infesta & operta. Inuolabant in faciem, in os, in oculos, in aures, in nares, nulla requie concessa; odiosissimo tinnitu ferientes auditum, & acri punção vexantes cutim,

tim, tabo suo totum corpus quâ poterant attingere in tumorem attollentes. Affligebat hoc malum non solum homines, sed etiam iumenta, quæ abruptis vinculis tamquam cæstro percita ferebantur per agros, obuia quæque sternentia. Remedium nonnullum erat abdere se in aquas. Ditiores quoque conopœcis & flabellis molestiam solari conabantur.

39 Itaque persistente in obstinatione Rege, addidit Deus plagam quartam, immisso omni muscarum vel insectilium genere: quarum quædam horrendum in modum pungunt, ut etiam largum sanguinem ex iumentis eliciant. Harum infinita multitudo Ægyptum & vniuersas Ægyptiorum domos inuasit, omnia suis sordibus inquinans & corrupens, animalia & homines acerbis puncturis & alarum molestissimo strepitu infestans, nec vsquam quietem capere permittens. Grauissima hæc pes fuit Ægyptiis. Vnde Pharaon iterum fractus missionem spondet, ut ista plaga depellatur. Quare dum postridie Moyses Domino supplicat, repente omnes illæ muscarum nubes sublatae sunt, ita ut ne vna quidem superfuerit.

*Quarta,
Muscarum
omne genus.*

40 Verum cum ille flagello submoto rursus falleret promissa, Deus quintam plagam irrogat, pestem animalium, qua vno tempore omnes equi & asini & cameli, & boues & oues quæ in agris erant, per totam Ægyptum periire, exceptis ijs quæ erant filiorum Israël. hæc enim ab illa clade fuere immunia. Magna profectò ista castigatio fuit, quæ bonam partem opum Ægyptiacarum perdidit; & insuper terribilis, cum Ægyptij merito formidare deberent, ne similem Deus pestem in ipsos immitteret. Nam pestis animalium solet esse prænuntia mortalitatis hominibus impendentis.

*Quinta, Pe-
stis animalium.*

41 Sed neque hoc flagello meliores effecti sunt. Itaque sextam Deus plagam infert, hominum & quæ supererant iumentorum corpora scabie grauissima exulcerans. Nam iussu diuino cum Moyses coram Rege vnum vel alterum cinerum manipulum in cælum sparsisset, ecce subito per totam Ægyptum miro quodam puluere aer impletus est, qui in hominum & animalium decumbens corpora, sua acrimonia & vi caustica cutim attollebat in vesicas, subtilioribus carnis partibus in aquosam materiam colliquatis, quæ deinde humore putrescente & cute exesa in vlcera & sordidam feruentemque scabiem facebant. Erat hoc malum molestissimum pariter & foetidissimum, aded ut ne magi quidem eo afflicti possent coram Moysse consistere. Hinc Deuteronomij 28. inter cetera ma-

Sexta, Scabies.

la qua legis prauaricatoribus minatur, Moyses, ponitur & istud, Percutiat, inquit, te Dominus ulcere Aegypti, scabie quoque & pruriginis, ita vt curari nequeas.

Septima,
Grando.

Exodi 9.

Post hæc, cum nec sic quidem respicerent, infert septimam valde terribilem, grandinem ingentis ponderis fulminibus permixtam, qua omnia viuientia & arbuta, qua foris erant, protrita, contracta, vel consumpta fuere. Cum enim mandato Domini Moyses virgam in caelum extendisset, subito Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitq; Dominus grandinem super terram Aegypti. & grando & ignis mista pariter ferebantur: tantæq; fuit magnitudinis, quanta antè numquam apparuit in vniuersa terra Aegypti; ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta qua fuerant in agris ab homine usque ad iumentum, cunctamq; herbam agris percussit grando, & omne lignum regionis confregit. Erat hæc plaga non solum valde detrimetosa, qua tot mortales extincti, & tantæ opes delictæ; sed etiam supra modum horrenda. Primò, Nam Aegyptus tonitruorum, fulminum, & grandinum est insolens: non enim ibi coguntur nubes nisi modicæ, idque iuxta mare ad leuem quandam irrotationem, vt Philo scribit. Deinde, Quia hæc tum fuere longè maiora, densiora & diuturniora, quam alibi euenire solent; vt merito omnes extremum exitium metuerent. Grandine enim, tamquam laxo nimbo, non solum omnia qua in agris erant teneriora, sunt contracta; sed etiam lecta vehementer afflicta: fulmine verò solidiora quæque dissipata. Tertio, Quia videbant fulmina grandini permixta ferri, nec tamen vi fulminis grandinem liquescere, aut grandinis copia & frigore fulminis vim restingui. quod miraculum tum Philo libro De vita Moysis, tum S. Scriptura cap. 16. Sapientia commemorat. Nix, inquit Scriptura, & glacies fissinebant vim ignis, & non tabescebant; vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruscans. Hæc plaga ita perterrita Regem, vt vocato Moysè & Aarone hanc vocem illi expresse- rit: Peccavi etiam nunc; Dominus iustus; ego & populus meus impij; orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei; & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic ultra maneatis. Deprecante Moysè, omnia repente conquieuerunt, vt constaret hæc omnia diuino nutu regi.

Exodi 9.

Octaua, Locusta.

Quiete concessa, Rex pristinam induit contumaciam. quare octaua plaga inuecta est, locustarum immensum agmen. Cum enim Moyses iussu Dei virgam in aërem extendisset, subito ventus Austra-

Australis incubuit vehementissimus, per totam diem noctemque inualescens, qui sub diluulum aduexit locustarum infinitam multitudinem instans, bis expansam, quæ vniuersam terram occupauit & contexit. Hæc quæ grando & fulmen reliqua fecerat, vultauit omnia, adeo vt nihil virens relictum sit in arboribus aut herbis terræ in cuncta Ægypto. Penetrabat quoque agminatim in domos, in cubicula, in lectos, in penum, omnia suo contactu adurens, & sanie commaculans. Assultim se vibrabant in faciem, in caput, in manus & crura, diros morsus inferentes, vt insinuat Sapientiæ 17. Quare rursus Pharaon, Moyses & Aarone accitis, confessus peccatum suum, *Rogate, inquit, Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Ingressusque Moyses rogauit Dominum, qui mox flare fecit ventum Occidentalem vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, ita vt ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti remanserit.

44 Verum sublato hoc malo, cum Rex animum obstinasset, immissa est plaga nona. Extendente enim Moyses iussu Dei manum in caelum, factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. *Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat.* In hac plaga multa sunt admiranda. Primò, Quod tenebræ illæ tantæ fuerint, vt essent palpabiles, nimirum aëre crassis vaporibus & nubibus atris ita constipato, vt & lumen cæli penitus excluderet, & præ spissitudine tactu percipi posset. Deinde, quod hæ tenebræ non affecerint Hebræos Ægyptiis permixtos, sed solos Ægyptios: nam, vt ait S. Scriptura, *ubicumque habitabant filij Israel lux erat.* Tertiò, Quod hæ tenebræ tantum horrorem Ægyptiis attulerunt, vt toto triduo se loco movere ausi non fuerint, sed tamquam vinculis constricti perstabant singuli eo loco vbi eos tenebræ oppresserant. Quod etiam aperte habetur Sapientiæ 17. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati, & longa noctis vinculis tenebantur in carcere sine ferro clusi.* Quartò, Quod ab igne nihil foliatij percipere licuerit, vt eodem cap. 17. dicitur, cuius causam Philo refert in crassum vaporem, & turbinem ventorum, qui illum accendi non pernitteret. Quintò, Quod miris interim fuerint exagitari terroribus, spectris horrificis per tenebras se offerentibus, & variis sibilis ac sonis hinc inde emissis. Vide cap. 17. Sapientiæ.

45 Cum hæc plaga tres dies & noctes continuata fuisset, diuina miseratione cessauit, ne miseri inedia & horrore contabescerent. Verum

*Decima, Ca-
des primoge-
nitorum.*

Verum Rege in sua impietate & contumacia persistente, tandem Dominus cladem decimam, eamque omnium acerbissimam irrogat. Media enim nocte, misso Angelo, vna hora occidit omnes primogenitos, à primogenito Regis qui iam cum patre regnabat, vsque ad primogenitum vilissimæ ancillæ pistrinariæ, & omnia primogenita animantium. Nulla domus erat sine funere, sine luctu & eiulatu, perempto eo quod in quaque erat præstantissimum & charissimum. Tantus hinc ortus est clamor, tanta comploratio per totam Ægyptum, quanta nec antè fuit vmquam, nec postea futura est, vt S. Scriptura cap. 11. Exodi testatur.

Hæc calamitas eorum contumaciam fregit: metuebant enim, ne si diutiùs refragarentur, sicut vno actu Deus omnes primogenitos peremerat; ita reliquos geminata plaga ad interneccionem dederet. Permittunt ergo Israëlitis abitum & vrgent, commodatis vasis aureis, argenteis, & pretiosa supellectile ad sacrificij, quod facturi erant Domino, celebritatem. Verum paulò post redeunt ad ingenium, pœnitentque concessæ facultatis. Ingens enim damnum videbatur, regnum tantis priuari seruitiis.

*Diviso ma-
ris.*

Igitur Rex contracto repente exercitu persequitur abeuntes, & tertio die assequitur montibus & mari interclusos. Putabant Israëlita actum de sua salute, & pœnitebat egressum tentasse, quia nusquam sibi patere videbant effugium. Sed Dominus in vltima illa desperatione mox adfuit, cuius mandato cum Moyses virga sua Mare rubrum percussisset, statim scissum est à littore Ægypti ad littus oppositum in duas partes, aquis in dextrum & sinistrum ingenti spatij hiatuque, discedentibus, & certo limite instar murorum consistentibus, nudato latè alueo tamquàm valle inter duos montes. Non enim putandum est, exiguum fuisse hoc diuortium, quo tantum spatij datum, quantum trecentis hominum myriadibus cum infinita pecorum & iumentorum copia turmatim incedendo satis erat ad transitum quatuor vel quinque horis expediendum. Latitudo itaque huius semitæ vt minimum fuerit mille passuum, longitudo duodecim millium. Facta hac maris diuisione, ad vesperam immisit Dominus ventum vrentem, qui humidum maris alueum siccaret, lutumque duraret ad commoditatem transeuntium. quod vbi paucis horis fuisset perfectum, post mediũ noctis ingressi sunt maris alueum, & ad alterum littus euasere sub auroram. Sequitur mox Pharaó cum suo exercitu, pænè inhærens postremo Israëlitis agmini, nisi Angelus in columna ignis præcedere solitus,

tunt castigandi formæ & genera pœnarum, Numinis ipsius timorem conciperent. Ex illis enim liquet, quomodo omnia elementa, atque adeo omnis creatura eius nutibus ad vindictam impiorum, & ad iustorum solatium deseruiat; nihilque tam vile aut imbecillum in rebus existere, quo non possit humanam superbiam & potentiam domare. Denique Ægyptus typum gerit mundi, Ægyptij impiorum, Pharaos Antichristi, Moyses Christi, Israëlita iustorum: plagæ illæ decem designant plagas futuras tempore nouissimo, quibus mundus affligetur: demeritio Ægyptiorum in mari, demerisionem impiorum in infernum: transitus Israëlitarum in terram promissionis, transitum iustorum in cælum.

Ad hoc genus extraordinariæ vindictæ referenda sunt infinita 49 alia exempla, tum publica tum priuata, quibus Deus modis inuifitatis supra communem rerum cursum peccata mortalium omnibus sæculis castigauit: vt cum exercitum Sennacherib centum octoginta quinque millium hominum vna nocte per Angelum interfecit; cum tot gentes Chananæorum & tam innumerabilem populum cum vxoribus & paruulis interneccione deleuit; cum maximas clades Asoriis & quatuor aliis Philistinorum oppidis propter detentam Arcam intulit; cum quinquaginta millia plebis vrbs Bethfames simul percussit, quod ausi fuissent vel oculos in Arcam conicere; cum sub Dauide ob numeratum populum septuaginta millia hominum triduo peste sustulit. Denique, nullum est sæculum quo non aliqua in omnibus pænè regnis huiusmodi publica exempla cernantur diuinæ seueritatis. Priuata verò, quibus aliqui seorsum horrendis modis cum sempiterno animi interitu sunt diuinitus puniti, innumera extiterunt, & quotidie pænè variis locis noua succedunt.

CAPVT IX.

De quinto opere Iustitiæ diuinæ.

*Quintum
specimen di-
uinæ iustitiæ
in castigatio-
nibus ordi-
nariis.*

QVINTVM diuinæ iustitiæ specimen elucet in ordinariis & quodidians 50 castigationibus, quæ secundum communem rerum cursum à diuina prouidentia directum inferuntur; nimirum peste, fame, bello, latrociniis, ferarum & noxiarum bestiarum populationibus, ventorum procellis, aquarum eluionibus, terræ motibus, imbribus, siccitatibus, incendiis, naufragiis, aliisque modis plu-

plurimis. Plenus est mundus calamitatibus per istas causas irrogatis, quas à manu diuinę iustitię provenire putandum est. Isa. 45. *Ego Dominus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* vbi malum vocat omnem calamitatem & afflictionem. Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* quasi dicat, Minime, vnde scitote, omnem afflictionem quę vobis obuenerit, esse à Deo, qui vestra peccata castigat. Et quidem quodd bellorum clades diuinę sint imputandę iustitię, docet passim Scriptura: hoc enim flagello Deus Iudęorum peccata plerumque vindicauit, vsus ad hoc opera Regum vel populorum vicinorum, vel Assyriorum, vel Chaldęorum, vel Egyptiorum, vel Romanorum, per quos extremis cladibus sæpe affecti fuerunt. Sic decem tribus postquã à Regibus Syrię multis calamitatibus attritę fuissent, & nihilominus in sua prauitate permiserunt, tandem iusto Dei iudicio ab Assyriis penitus sunt excisę, omnibus vel interfectis, vel in perpetuam seruitutem abductis. Sic tribus Iuda & Benjamin, quę solę ex duodecim supererant, à Chaldæis postea vastatę sunt, & in Chaldęam translata, vbi septuaginta annis duram seruitutem pertulere. Qua pœna pro præteritis peccatis depensa, Dei beneficio liberi in patriam sunt remissi, & rursus in magnum populum & regnum creuere, opibus & deliciis affluentes. Verum cum rursus se peccatis deditissent, nihil nisi terrena sapientes, & celestem Messię doctrinam aspernati, ipsum discipulosque eius interemissent, tandem traditi sunt Romanis excidendi. Quantis autem calamitatibus per multos annos ab illis fuerint affecti, vix animo comprehendi potest. Cum enim extra Iudęam plurimis locis habitarent, vbique expositi fuere furori populari, vbique cadebantur impune, spoliabantur bonis, impetebantur sordibus & saxis, omnibus exosi, omnibus ludibrio; nec quemquam capiebat eorum miseratio. In ipsa verò Iudęa affligebantur à Præfectis & milite Romano, qui maximas illis clades inferebant. Cumquę huiusmodi miseras longo tempore variis locis essent perpeffi, tandem obfessa est Ierosolyma: quo tempore vastati agrus, abacta pecora, exusta villosa, inuecta fames grauissima dirã peste comitata, adeò vt & domus & plateę cadaveribus replerentur, deficientibus viuus ad officium sepulturę. Flos iuuentutis variis dimicationibus concisus, virgines & matronę militari licentię expositę: denique ferro & flamma vastata omnia, tot palatius & augustissimo templo solo æquatis, & ciuibus qui supererant cum vxoribus & liberis vel in-

Per bella castigantur à Deo.

Philo in Flaccum, & in legatione ad Caium.

terfectis vario mortis genere, vel in seruitutem morte acerbiorum abreptis, vel sub hasta venditis, vel ad triumphum & spectacula referuatis. In sola vrbe Ierosolyma per tempus obsidionis mortui aut caeli decies centena millia, capti nonaginta septem millia. Omitto numerum eorum qui antea variis locis vel per tumultum popularem, vel per Romanorum Praefectos interempti. Porro, sicut Iudaeos propter sua peccata bellorum calamitatibus afflixit, ita etiam Aegyptios, Tyrios, Idumaeos, Moabitas, Syros, Assyrios, Chaldaeos, ut clarissime Scriptura docet; ut hinc intelligamus, omnia bella, omnesque seditiones nihil esse aliud quam irae diuinae flagella: opibus enim & deliciis, quas longa pax & prosperitas adducit, mens humana corrumpitur, & diuini Numinis oblita, in omnem vitiorum turpitudinem diffluit. Itaque Deus bellum immittit, cuius acerbitate & praeterita peccata castigantur, & futuris fomenta subtrahantur, & Dei notitia ac timor mortalibus inferatur, ut ad ipsum confugere, vitamque emendare compellantur. Denique hac ratione quoque impeditur ne numerus impiorum inualescat: nam cum longa prosperitate genus humanum excreseat ultra modum, & veluti arbor in opimo solo, inutilem & impiorum hominum multitudine tamquam frondibus & stolonibus luxuriet, Deus hac falce bellorum, ut peritus frondator, noxiam fruticum siluam refecat, frondemque inutilem distringit, luxurie castigata, ut quod superest, non opprimatur, sed iniquo liberatum onere idoneum fructum proferat. In hunc finem excitauit subinde magna quaedam Imperia & Monarchias, quae sine maximis bellis & gentium cladibus nec constitui poterant, nec conseruari, ut Assyriorum, Persarum, Graecorum, & Romanorum. Quae tamen ipsa rursus propter peccata tum Principum qui ea tenebant, tum populorum quibus ea constabant, deleta sunt. Assyriorum enim euersum est a Persis, Persarum a Graecis, Graecorum a Romanis, Romanorum (excepta portiuncula quae superest) partim a Barbaris, partim a subditis sese in libertatem vindicantibus. Cum enim aliqua Monarchia diu continuatur, qui praesunt, nimium attollunt animos, intoleranda superbia suum statum & potentiam non diuinae prouidentiae, sed suae & maiorum suorum prudentiae & virtuti assignantes. Vnde in omnem licentiam effusi, pro sua libidine, tamquam nemini rationem reddituri, gerunt omnia. Populi quoque subiecti, longa pace corrupti, peccata peccatis accumulunt. Itaque Deus vult Monarchiam in vna natione non esse perpetuam, sed

Isaias à c. 13.
vsque ad 25.
item c. 45. &
46.
Ierem. c. 46.
& seqq.
Ezech. c. 25.
& seqq.
Amos.
Nahum.

Monarchia
ad puniendam
peccata.
Dan. 7.
Zachar. 6.

sed subinde mutari, & ex vna in aliam transferri. Quo fit vt quædam gentes olim bellicosissimæ, & quæ bonam orbis partem subegerunt, iam sint infolles, & aliis prædæ expositæ; vt intelligant, non sua virtute, sed diuina ordinatione se aliquando magnum Imperium tenuisse.

53 Porro, sicut bellorum cladibus Deus humanum genus castigat, & effusam eius luxuriam compefcit; ita etiam, fame, incendiis, naufragiis, & aliis modis his similibus; sed maximè peste, qua breui tempore interdum oppida & Regna ita exhaurit, vt vix quarta pars hominum supersit. Salutaris omnino falx, ad superfluum & noxiam frondem ac fruticem refecandam. Manifestus autem istæ plagæ à diuina prouidentia inferuntur, quàm bellorum clades: Deus enim ista flagella directè potest velle, & per se immittere, quia per causas naturales absque cuiuspiam interuentu inferri possunt. *Per alias calamitates.* Bella autem pleraque, nimirum quæ iniuste suscipiuntur, etsi absque peculiari diuinæ prouidentiae permisso non gerantur, non tamen directè à Deo sunt volita aut decreta, sed permilla tantum in vindictam peccatorum. *Aliter bella, aliter alia clades à Deo.* Omnes enim dæmones & impij Reges *Quo modo Deus veniat impijs ad punitionem alicuius permittit.* sunt veluti feri quidam leones, parati genus humanum perdere, vel suæ tyrannidi subiicere. Verùm ita virtute diuina continentur, vt nihil nocenti cuiquam inferri possint nisi Deo annuente, & veluti habenas quibus coercerentur remittente. Cùm ergo Deus aliquod Regnum propter peccata vult punire, vim illorum compressam relaxat quantum & quàm diu ipsi videtur, sinitque illos veluti turbines quosdam Regnum illud inuadere, eique bellum inferre; & simul illud Regnum pristina protectione destituit, vt se tueri non valeat. Cùm autem satis pœnarum dederit, rursus habenas sensim contrahit, & vim aduersariam magis magisque coercet, & simul protectionis suæ dexteram ad illud Regnum extendit, res omnes ita disponens, vt calamitas finem capiat, & pax desiderata subsequatur. Huius rei apertissima exempla habemus in Scripturis, præsertim in libris Iudicum, Regum, & Paralipomenon: denique pleni sunt libri Prophetarum, hunc esse diuinæ iustitiæ morem.

CAPVT. X.

Res humanas ministerio spirituum regi.

VERVM vt melius hæc percipiantur, considerandum est, vt 54
res humanæ à diuina prouidentia ministerio Angelico regan-
tur? Rectus enim ordo habet, vt inferiora à superioribus admini-
strentur, vt hoc modo nexu quodam inter se gradus rerum sint
deuincti, & inferiora quamdam superiorum participationem con-
sequantur. Sic elementa & rerum ortus caelestium corporum mo-
tu, & mentes humanæ à mentibus Angelicis gubernantur. Hæ
regnis & populis præfunt, eosque conseruant, & à multis tuentur
incommodis. Hæ diaboli vires comprimunt, insidias & machi-
nationes quibus homines perdere nititur, auertunt, sana consilia
suggerunt, animos adspirant, timores excutiunt. Denique omnia
ita temperant, vt inter tot insidias, inter tot hostium visibilibus &
inuisibilibus pericula, inter tot calamitatum causas quibus natura
humana vndique cincta est, & interius exteriusque oblesca, possint
homines, si velint, rectè viuere, & ad salutem æternam adspirare.
Verum, cum ipsi diuinis beneficiis, quibus omnes fruuntur, in-
grati, à lege diuina rectæque rationis norma recedunt, Numini-
que oblitæ, ad omnem vitiorum turpitudinem se prostituunt, me-
rentur hoc beneficio Angelicæ protectionis destitui. Itaque diui-
næ iustitiæ decreto consim hæc protectio subtrahitur, & diabolo,
qui antè veluti ligatus erat, vires relaxantur ad vindictam, nimi-
rum vt per sua membra, hoc est per impios Principes vel hereticos,
bella aduersus illud regnum moueat, aut seditiones concitet, &
præsidia quibus illud se tueri potuisset, euertat, magnamque in eo
confusionem rerum inducat: quo fit vt illud regnum fiat imbecil-
lum, sine animo, sine consilio, sine viribus, sine idoneis Ducibus,
sine successu, & ita implicetur difficultatibus, tum externis tum
domesticis, vt non possit se euoluere. Si quid boni consilij ab ali-
quo suggeritur, ab alio captiosis ratiunculis euertitur, neque qui
præfunt tantum luminis habent vt inter noxia & salutaria possint
discernere. Si qua occasio rei benè gerendæ se offerat, ea vel non
aduertitur, vel exigui sumptus causa negligitur, vel nescitur quo-
modo ea sit vtendum. Pericula impendentia non præuidentur,
vel vana spe aliqua, aut fallaci persuasione parui penduntur. Ire-
punt proditores, qui statum rerum & secreta pandant hostibus.

Inter

4. Reg. 6, 17.
Dan. 10.
Gen. 48.
Tob. 12.
Psalm. 90.
Hebr. 1.
Matth. 18.

*Propter pec-
cata subtra-
hitur hæc
protectio.*

*Damoni-
zantur ha-
bena.*

*Effectus qui
Angelicæ
protectione
subtrahita se-
quuntur in
Regno.*

Inter Proceres odia fuscitantur & inimicitiae priuatae, quibus ut indulgeant, alter alterius conatus & successus etiam cum damno publico studet impedire. Aerarium impensis parum necessariis absumitur, nascuntur seditiones militares, quibus posteaquam prouincia est vastata, & vires hostiles adauctae, infinita vis pecuniae, qua bellum geri poterat, est profundenda, ut damna inferre desinant. Denique, dum omnes suis student commodis, nec cuiquam bonum publicum est cordi, omnia ad extremam vergunt perniciem. Exempla huius rei habemus plurima. Legatur Iosephus De bello Iudaico, & Historiae Imperij Orientalis.

55 Econtrario hostibus etsi longè magis impiis & sceleratis, per quos Regnum istud est puniendum, omnia feliciter succedunt, crescit animus, augentur vires, opportuna capiunt consilia, occasionibus uti norunt, euentus habent felices; magna inter Primores concordia, nemo alterum nititur euertere, nemo publicam causam priuatis miscet odiis; denique ita succedunt omnia, ac si Deum suae causae fautorem ac directorem haberent, cum tamen eorum causa sit iniusta, & intentio impia, & nihil minus quam Deum cordi habeant. Vnde, quæso, tantum discrimen, nisi quia Regnum quod propter sua peccata est castigandum, Angelico patrocinio, quo antea protegebatur & regerebatur, nunc destituitur, & suis dumtaxat viribus consiliisque relinquitur? Hostes verò iuuantur à dæmonibus, quibus propter illius Regni peccata vires laxatae. Ab his tamquam ducibus diriguntur & animantur, & res prouinciae quæ castiganda est, turbantur, ac variis difficultatibus implicantur. Maximam vim habet in bellis Ducum peritia & industria, ad eò ut totus ferè successus & victoria vniuersa hinc pendeat. Vulgò dicimus, meliorem esse exercitum ceruorum duce leone, quam leonum duce ceruo. Si tantum potest vnius Ducis industria, quantum poterunt tot dæmones, qui rerum bellicarum sunt peritissimi, quibus facile est suis copiis, consilia suggerere, timorem adimere, animos excitare, occasiones ostendere, obstacula remouere, & econtrario in copiis aduersis consilia perturbare, metum iniicere, occasiones praecindere, discordias excitare, proditores inferere. Miris enim modis possunt vim phantasticam mouere, à qua omnes humani affectus, omnesque perturbationes, timores, animositates, insuper consilia & actiones dependent. Itaque populus puniendus, est instar ouium sine pastore, militum sine Duce, & veluti corpus sine sanguine, sine spiritu, sine vigore, sine anima: desti-

Cur hostibus omnia succedant ex voto.

Dæmonibus permittitur ut sint duces imperium.

destituti enim sunt spirituum superiorum assistentia & gubernatione. Qui verò puniuntur sunt, pleni sunt vigoris & animorum, instructi auxilio spiritualis nequitia, cuius presentia animantur, reguntur, & aguntur. Hinc facile aduersarios vincunt, & omnia in suam potestatem redigunt, non tam sua virtute, quàm Ducum suorum inuisibilem ope, quibus id Deus permittit ad illius Regni castigationem. Hoc pacto maximæ Monarchiæ exortæ; hoc modo Assyrij, & Persæ, & Alexander Magnus, & Iulius Cæsar, & Vandali, & Gothi, & Longobardi, & Turcæ, & Tamerlanes, in tantam crevere potentiam; alij celerius, alij lentius, Deo id permittente ad mortalium castigationem. Neque enim credibile est, illos impios aliter fuisse à Deo adiutos quàm permissione, qua diabolo vires laxatæ, & protectionis Angelicæ subtractione. Hæ enim duæ causæ abundè sufficiunt. Nam illa permissio sufficit ad illos reddendos fortes, & hæc subtractio ad alios reddendos infirmos, vt ex dictis constat.

*Potentia pi-
orum Cade
creuat.*

Porro sicut Imperium & potentia impiorum crescit malorum ⁵⁶ spirituum ope, ita cultorum Dei potentia bonorum spirituum auxilio sæpè creuit, & maximos successus habuit. Sic enim filij Israel tot gentes deleuerunt, & earum Regna obtinuerunt. Sic Dauid & Machabæi tot & tam mirebiles victorias causis hostibus reportarunt: sic Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Carolus Martellus, multiq̃ue alij Christiani Principes mirabiliter hostes superarunt, & maximos exercitus conciderunt, paucis è suis desideratis. Hæc enim non sine Numinis ope contigisse res ipsa per se fidem facit, & Historiæ testantur. Comprimebatur diaboli potentia, vt minus posset aduersarios iuuare, & res Christianorum perturbare; & ex altera parte augebatur Angelica protectio & opitulatio, qua Christianis & bona consilia, & audaces animi inspirabantur, & cetera ad rem benè gerendam opportuna disponebantur: hostibus verò iniiciebatur metus, eripiebantur sana consilia, incipiebantur occasiones & alia prælidia boni successus. Quòd autem hæc rariùs nostro sæculo contingant, in causa sunt Christianorum peccata: ex his enim quasi lege naturali iustitiæ sequitur, vt protectio & gubernatio diuina, quæ ministerio Angelorum ipsis impendi cõsueuerat, minuatur, & sensim magis magisque crescente peccatorum cumulo, subtrahatur. cui subtractioni simul coniunctum est, vt vires ad nocendum relaxentur diabolo, quem suæ passionis merito Dominus ligauerat ne Ecclesiam irretiret perditum.

*Peccata
Christianor-
um sunt
causa imbe-
cillitatis.*

Ex

Ex quibus iam necessariò sequitur, vt impiorum potentia diabolico fulsa præsidio crescat, & Christianos sensim subiiciat, Religionemque labe factet, & multis modis extinguat.

57 Verendum omnino ne pauca illa quæ Ecclesiæ supersunt, etiam ab impiis occupentur. Sæculo currente quintodecimo, amissimus Imperium Orientis, in quo tot insulæ & insignes prouinciæ, omnibus in potestatem Turcarum redactis. Sæculo sextodecimo maxima pars Septemtrionis, in qua multa Regna & vrbes nobilissimæ, nobis periit, hæresi occupante omnia, cuius contagio non parum ceteræ quoque Christiani orbis prouinciæ, paucis exceptis, inquinatæ sunt. Adeò hæc pestis inualuit & crescit indies, vt nisi diuina bonitas suâ providentiâ illam stiterit, velut flamma nòc sæculo decimo septimo videatur peruasura omnia. Crescente enim indies peccatorum mensura, crescit quoque diaboli & impiorum potentia, & minuitur Christiano orbi protectio diuina: & per ipsa peccata animi hominum ad hæresim & atheismum disponuntur. Itaque facile est diabolo, partim potentia & successibus suorum, partim artificio & fraudibus exterius per suos ministros adulterando verbum Dei, interius per seipsum peruertendo phantasiam, mentes mortalium licentiæ carnali deditas ad illud barathrum pertrahere. Sicut enim arida stipula facilè concipit admotum ignem, ita mens humana carni adiecta, & cælesti protectione destituta, facilè corripit propositam hæreseos doctrinam.

Ex his perspicuum est, quomodo Deus peccata hominum per bella vindicet, & quomodo per impios castiget suos cultores, olim Iudæos, modò Christianos. Item, cur impiorum plerumque potentia sit maior quàm eorum qui Deum colunt, & hi ab illis opprimantur: hæc enim omnia ad inuisibilem potestatum gubernationem, opitulationem, vel desertionem referenda esse, innumeris Scripturis & exemplis ostendi potest (de quibus alibi opportunior erit locus dicendi) diuina iustitia, mediantibus decretis & permissionibus, propter hominum peccata sic statuente.

CAPVT XI.

De mensura peccatorum qua vindictam antecedit.

58 NUNC considerandum est, quando Deus vindictam inferre soleat: non enim commissio peccato statim punire consuevit; alioquin iam pridem exhaustum esset genus humanum, & paucissimi

D d d

limi

Cur Deus
non statim
inferat vin-
dictam.

Rom. 2.

fimi salutem consequerentur. Differt itaque sæpè in longum tem-
pus, vt pœnitentiam agant, & supplicium impendens auertant.
Imò multis in hac vita grauem aliquam afflictionem non immit-
tit, etsi sceleribus infinitis ipsum offenderint, sed totum referuat in
futurum, finens illos interea thesaurizare sibi iram in diem iræ.
Breuis enisi admodum est vita humana, ac proinde vltio non po-
test multum differri. Verùm Regna, Prouinciæ, vrbes, & magni
hominum conuentus (ob assiduam eorum qui gignuntur & mo-
rientibus substituuntur accessionem) non intercidunt, sed pluri-
mis sæculis perseverant. Itaque consentaneum est diuinæ iustitiæ,
vt sibi de peccatis eorum valde excrescentibus, in hac vita com-
muni aliquo calamitatum flagello castigentur, tum ne nimis diu-
turna impunitate, peccandi licentiâ in immensum augeatur, & ad
alias quoque nationes horum exemplo serpat, tum vt omnibus timor
diuini Numinis, ac cetera vitæ emendandæ iniiciatur.

Certa men-
sura peccato-
rum Regnis
punitiōnis
constituta.

Constituit itaque diuinæ iustitiæ singulis Regnis & Prouincijs
certam quamdam mensuram certo peccatorum numero & graui-
tate definitam, quam vbi peccando impleuerint, gratem aliquam
vindictam generatim inferat, siue bello, siue peste, siue fame, siue
aliis modis, vno vel pluribus, prout ipsi placuerit, & peccatorum
magnitudo postulauerit. Colligimus hoc ex Scripturis. Gene-
sis 15. *Generatione quarta reuertentur huc, nec completæ sunt
iniquitates Amorrhæorum:* nimirum vt excindatur, & semen tuum
eorum regionem obtineat. Hoc enim factum est post quadringen-
tos annos, tunc enim & illorum & ceterarum gentium Chanaan
completa est mensura iniquitatis, & Israëlitis traditi sunt vastandi.
Matth. 23. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* quasi dicat,
Illi occiderunt Prophetas quos Deus ad eos mittebat, & sic ma-
gnum impietatis cumulum sibi struxerant: vos occidite (per con-
cessionem dictum intellige) Dominum Prophetarum, vt mensu-
ram eorum impleatis, qua impleta sequetur vindicta, per quam &
illorum & vestra impietas puniatur. *Pro. 24. Insinuant illa verba se-
quentia, Veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super
terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Bara-
chiæ, quem occidistis inter templum & altare. Sanguis iustus,* hoc est,
pœna & supplicium pro effusione sanguinis iustorum, eippe Pro-
phetarum quos ipsi vel patres eorum occiderant. Sic cum esset im-
pleta mensura quæ decreto diuinæ iustitiæ primæuo mundo erat
constituta, inductum est diluuium, quod significat Scriptura Ge-
nesis

nesis 6. cum ait: *Cumq; videret Deus terram esse corruptam* (omnis quippe caro corruperat, viam suam super terram;) dixit ad Noë: *Finis vniuersae carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Ideo nimirum venit finis & excidium primi orbis, quia mensura eius impleta erat; quæ mensura facta erat in vniuersali omnium (exceptis paucissimis) corruptione per omnia vitiorum genera, maximè per libidines, crudelitatem, superbiam, & (vt valdè credibile est) per idololatriam. Similiter finis & excidium generale secundi orbis erit, quando mensura impietatis eius erit impleta; quæ consistet in vniuersali corruptione (si pusillum fidelium gregem, qui tunc reperietur, excipias) per eadem vitia, sed maximè per hæreses, atheismum & Numinis contemptum. Sic impletà mensurà Sodomorum & Gomorrhæorum, Dominus eos deleuit; quod significatur illis verbis Genes 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis: descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Grauia peccata vindictam clamant, quæ dum multiplicantur, crescit clamor, tandemque fit intolerabilis auribus diuinæ iustitiæ, nempe quando ad eam mensuram peruenerunt, vltra quam Deus non accepit sibi tolerandam ab æterno statuit. Sæpè tamen etiam completà mensurà non statim ad vindictam prorumpit, sed lentè procedit, tamquam inuitus pœnam iræget, præsertim quando de extremo exitio agitur. Quod insinuant ea verba, *Descendam, & videbo,* &c. quibus etiam instruit Iudices, grauia crimina quæ fama defert, non esse statim credenda, nec vindicanda, nisi rei veritate benè explorata; vt pulchrè docet S. Gregorius lib. 19. Moraliū cap. 23. Denique hæc mensura indicatur omnibus illis Scripturæ locis, quibus prædicitur instare excidium alicuius nationis: vt cum dicitur onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Egypti, onus Tyri, & similia, quibus pleni sunt Prophetarum libri.

60 Quæ autem cuique Regno vel Prouinciæ mensura constituta sit, latet in inscrutabili diuinorum iudiciorum abyssu, neque alicui creature nisi per reuelationem innotescere potest: nulla enim est certa lex aut regula, vnde id possit conici. Supremus, ille orbis moderator pro suo arbitrio statuit, vsque ad quem gradum & quamdiu peccata cuiusque nationis sint toleranda; quando & quomodo vindicanda. Et quidem plerumque minus tolerat pec-

Variis Regnis
& populis
vniuersa mensura.

Fidelium peccata minus tolerat, quàm infidelium.

cata fidelium quàm infidelium. Primò, Quia fidelium peccata plerumque sunt grauiora, partim ob maiorem diuinæ voluntatis, futuræque mercedis & vindictæ cognoscens; partim ob maiorem in Deum ingratitude. Secundò, Quia castigatio fidelium non est ad perditionem, sed ad emendationem & salutem. Plurimi enim per huiusmodi communes afflictiones à peccatis & æterno exitio in quod ruebant auocantur, & salutem assequuntur, qui alioquin in prosperitate erant perituri. Vnde potius est paterna correptio, quàm iudicialis punitio, & κόλασις potius quàm τιμωρία, iuxta Aristotelis doctrinam. At infidelium castigatio magis tendit ad perditionem. et si enim Deus illam irroget vt vitam emendent; tamen, cum vera fide sint destituti, non norunt ea vt ad salutem: itaque parum illis adfert commodi. Tertio, Quia cum ipsi post hanc vitam æterna pœna sint plectendi, Deus sinit illos diutius frui huius vitæ commodis, & magis cum illis, quàm cum fidelibus dissimulat, præsertim si omnem honestatem & pudorem penitus non abiecerint. Denique infideles & hæretici sunt plerumque instrumenta quibus Deus fideles castigat: vnde tolerat illos etiam in hunc finem, & permittit crescere in magnam potentiam. Habent tamen hi quoque suam mensuram & terminum, cum satis diu fideles afflexerint, & peccata peccatis sine fine, sine metu Numinis, cummulauerint; tunc & ipsis flagellum imminet, quo, vel omnes, vel bona pars eorum dispareat. Sic cum Assyrij & Chaldæi populum Dei & alias nationes sapiens afflixissent, tandem & ipsorum Regna cum maxima mortalium strage euersa sunt. Idem Vandalis, Hunnis, Arrianis, & aliis huiusmodi Ecclesiæ flagellis ac pestibus accidit. Idem nostris quoque hæreticis eueniet, qui modò ad castigandam superbiam, iactantiam, luxuriam, acediam, aliaque Catholicorum peccata, ad tantam assurgere potentiam permitti sunt. Cum enim Deus eorum malitia & viribus satis vius fuerit ad fidelium castigationem, & mensura peccatorum fuerit impleta, etiam excidentur, & in ignem æternum tamquam palmites præcisi & omnino inutiles proicientur.

Ambulat itaque diuinæ iustitiæ flagellum in orbem, & transit de Regno ad Regnum, prout cuiusque mensura completur, nec vquam, ferè à peccatorum ultione conquiescit. Nullum enim est tempus, quo non in aliquo populo aut prouincia grassetur & sauiat. Vnde Psalm. 74. *Dixi iniquis: Nolite inique agere, & delinquentibus: Nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu vestrum;*

Vide Isaiam à cap. 13. vsque ad 25. Ieremiam cap. 50. & 51. Ezech. c. 38. & 39. & alios.

strum; nolite loqui aduersus Deum iniquitatem: quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus (sibi expectandum auxilium) quoniam Deus in dextera eius est. hunc humiliat, & hunc exultat; quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto: & inclinavit ex hoc in hoc, verumta meo fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terre. Calix iste est flagellum diuinæ iustitiæ, quod cuique infligitur cum mensura peccatorum eius impleta fuerit. Sicut enim calix plenus fortissimo vino, non diluto, sed multis rebus calidissimis & venenis mixto, grauissimos visceribus & capiti dolores adfert: ita calix iræ Dei omne genus calamitatis continens, acerrimos cruciatus excitabit. Hunc calicem nunc huic genti, nunc illi inclinat, & volentes nolentes bibere cogit ad satietatem & vomitum. Verum fæx & sedimentum referuatur in finem, quia calix æternæ damnationis, quem omnes peccatores vltimò haurient, erit omnium acerbissimus.

Vide pulcherrimum locum Jeremias 25. à versu 15. vsque ad 30.

- 62 Ad mensuram peccatorum cuiusque Regni, primò & maximè pertinent peccata communitatis, in quæ nimirum ipsa Respublica, vt corpus quoddam politicum, consentit: hæc enim propriè sunt peccata ipsius corporis, vt cum Respublica consentit in admissionem hæreseos, in expulsionem Sacerdotum, in bella iniusta. Eòdem referenda, quæ Principes vel magistratus auctoritate publica fulti committunt: hæc enim ipsa Respublica, cuius isti sunt veluti Commissarij aut Officiales auctoritatem à Repub. habentes, committere censetur. Deinde quæ passim à omnibus, vel saltem à maiore populi parte impunè committuntur. Quod enim à maiore parte Reipub. agitur, ab ipsa Repub. fieri censetur, etiam si à singulis seorsim, & non vt constituunt vnum corpus, fiat, vt cum populus maiori ex parte deditus est ebrietati, libidini, lucris iniustis, cum parum curat res sacras, & quæ ad salutem animæ pertinent, terrenis totus immersus. Denique etiam, peccata cuiusque in particulari aliquo modo ad hanc mensuram referuatur. Sicut enim quisque est membrum Reipublicæ, & coniunctus cum aliis constituit ipsam corpus Reipublicæ; ita peccata cuiusque priuati pertinent ad communem cumulum, eumque, aliorum peccatis coniuncta, constituunt & augent. Hinc fit vt interdum propter vnius peccatum totus populus puniatur, nimirum cum alicuius peccatum mensuram communitatis explet. Sicut enim in numeris quælibet species accedente vltimate vltima constituitur, ita quælibet peccatorum mensura à Deo definita vltimo aliquo peccato

Quæ peccata ad mensuram hanc pertinent.

Vnius peccatum interdum mensuram implet communitatis.

cato veluti termino intrinseco completur. Sic propter peccatum Dauidis populum numerari iubentis, punitus fuit vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, occisis peste intra septuaginta millibus hominum. Et propter peccatum Achan, qui contra præceptum diuinum aliquid de anathemate vsurparat, punitus fuit exercitus, & in fugam actus, caesis triginta sex viris: nec potuisset exercitus iste quidquam in posterum efficere, aut hostibus suis resistere, nisi auctor facinoris sublatus fuisset, vt ibidem habetur. In huiusmodi tamen euentis, non solum illud peccatum vltimum illius hominis; sed etiam præcedentia tum eiusdem, tum aliorum illius populi puniri fuerunt. Non enim ob solum peccatum Dauidis Deus tot millia hominum sustulit; sed propter hanc cladem, etiam populi peccata vindicata fuerunt, quæ iam ita accumulata erant, vt vindictam celere mererentur. Permissit itaque Deus Dauidem incidere in istud peccatum superbiæ, quo mensura Israëlitis erat implenda, & vindicta irroganda. Significat id Scriptura cum ait: *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitq.* (commoueri permittit à diabolo) *Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israel & Iudam.* Sæpe enim Dominus propter peccata populi permittit flagitia Principum, quibus vel tyrannicè populus ipse gubernatur, vel in bella & seditiones conuocatur, vel mensura peccatorum eius impletur, vt vltio diuina subsequatur. Pari modo *propter peccata populi facit regnare hominem hypocritam;* & dat Principes insipientes, imbelles, effeminatos, qui nesciant, nec possint populum regere, vel aduersus hostes tueri. Exempla plurima habemus in Scripturis, & Historiis humanis.

Ex his perspicuum est, qua ratione non sit iniquum, totam multitudinem propter vnius peccatum puniri. Non enim hæc ita ob vnius peccatum plectitur, quasi ipsa per se (saltem pro maiori parte) tali poena ratione suorum peccatorum digna non sit, (id enim non esset diuinæ iustitiæ consentaneum,) sed quia vnius peccatum (nimirum quo communis mensura impletur) est causa cur hoc tempore potius quam alio, poena communitati debita irrogetur, & non in aliud tempus differatur. Sæpe tamen fit vt aliqui in ea communitate tali supplicio per se non sint digni, qui tamen communi malo propter coniunctionem vitæ & habitationis inuoluuntur. Sicut enim in corpore naturali membrum quodlibet est particeps commodorum & incommodorum ipsius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiam si causam cum aliis non

2. Reg. 24.

Iosue 7.

2. Reg. 24.

Iob 34.

Hanc 4.

64

non

non dederit, communis prosperitatis & calamitatis est confors. Neque aliter iuxta ordinem rerum legem fieri potest, ob commorationem iustorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum medio degunt. Itaque respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, qua eorum peccata vindicentur, quam exercitatio virtutis & patientiæ ad maiorem gloriam. Nemo tamen facile in animum inducat, se talem afflictionem non esse commeritum: hoc enim est quod Dominus grauiter in S. Iob reprehendit, qui tantam se calamitatem non commeruisse contendebat. Nemo enim animi sui statum, vtrum amore an odio dignus sit, plene nouit: nemo peccatorum pondera & mensuras, quantumque pœnarum respondeat singulis, cognoscit. *Delicta, inquit Propheta, quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Quamuis enim Deus hanc calamitatem non immittat tibi ad peccatorum vindictam, sed ad patientiæ probationem; non tamen hinc efficitur, te illam non esse promeritum, aut Deum non potuisse illam iuste pro peccatis tuis irrogare. nam etiam quædam venialia ad hoc sufficiunt. Si enim post hanc vitam nonnulla venialia grauissimis & diuturnis purgatorij ignis suppliciis iuste puniuntur, cur non in hac vita quibusdam calamitatibus, quæ pœnis purgatorij longè sunt mitiores, vindicari possint?

Psal. 13.

- 65 Hoc quoque dignissimum est consideratione, quòd quò plures sunt impij homines in aliqua Repub. Christiana qui impune peccant, eò celerius impletur mensura, & grauius velociorque illi expectanda vindicta: hi enim maledictionem sibi debitam secum ad Rempub. cuius fiunt membra, deferunt, eiusque illam faciunt participem. Deinde, sicut Princeps aliquis non potest bene affici erga ciuitatem quæ propter aliquod lucellum recipit & iuuat eius hostes, qui ipsum contumelia afficiunt: ita Deus omnium Princeps & Dominus non potest amare Rempub. quæ solius commodi temporalis causa, nulla habita ratione iniuriarum quæ ipsi inferuntur, aut periculi contagionis quòd ciuibus impendit, hostes ipsius admittit & fouet. Itaque multas & graues calamitates non solum spiritales, sed etiam temporales illi imminere non est dubitandum.
- 66 Econtrario, quò plures sunt iusti & sancti in Republica, eò tardius mensura impletur, & longius punitio differtur. Benedictio enim & fauor cælestis qui ipsis debetur, in Rempub. quæ eos fouet redundat; parcitque Deus toti corpori intuitu aliquot nobilium membrorum quæ ipsi chara sunt, & propter aliquot bonos bene facit

Cur celerius
vel tardius
impleatur
mensura.Multitudo
iniquorum
accelerat
vindictam.Multitudo
iustorum dif-
fert vindictam.

Tres causa
ob quas Deus
differt puni-
tionem im-
piorum in-
iustum iusto-
rum.

Gen. 18, 32.
Num. 16.
v. 46, 47.
Plal. 105.
Luc. 13.

Eccli. 16.

Eccli. 21.

facit plurimis malis. Etsi enim maior pars Reipub. sit praua, & iram celerem mereatur; tamen Deus manus sustinet, & ultionem suspendit: partim ne simul cum impiis iustos, quorum ipse vita est accepta, tollat e medio: partim iustorum flexus humilitate & deprecatione: denique quia iustorum labore & studio sperandus est fructus, & multorum ex illa iniquorum colluue conuersio. Confirmari hæc possunt exemplis. Si enim in Sodomis vel decem iusti reperti fuissent, ipsorum gratia Deus toti illi multitudini pepercisset. Si Moyses sæpè Dominum non exorasset, & iram eius in populum accensam auertisset, longè plures & grauiores clades populus in deserto accepisset. Sic in parabola Euangelica precibus & sponione agricolæ arbor infructuosa & iam succidenda, seruata est in alterum annum. Omitto alia innumera huc pertinentia, quibus declaratur, maxima commoda, etiam temporalia, iustorum causa indignis collata, & maximas calamitates his impendentes auersas. Itaque viri iusti & sancti, veluti columnæ quædam, sua præsentia sustentant Respublicas & Regna, quæ iam olim pondere peccatorum suorum concidissent; nisi huiusmodi fulcra intra se habuissent. Imò iam pridem mundus periisset, nisi iustorum meritis, orationibus, & expectatione fructus, qui ipsorum opera ex impiis colligendus est, conseruaretur. *Melior est, & pluri à Deo æstimatur vnus iustus quàm mille impij, qui nihil sunt nisi stipula, patzã, zizania, ignis æterni pabulum: nam vt Ecclesiasticus inquit: Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.*

Hæc de quinto opere diuinæ iustitiæ sufficiant. Hactenus potissimum egimus de suppliciis corporalibus, quæ propter peccata Deus in hac vita infligere solet: sequitur vt dicamus aliquid de pœnis spiritualibus.

C A P V T XII.

De sexto Iustitiæ opere, quod est pœnitio spiritualis, & in primis de subtractione auxiliij interioris.

Sexto cernitur diuina seueritas in punitione spiritali: quæ etsi vulgè non ita æstimetur, quia sensibus non percipitur; tamen longè magis est metuenda quàm omnis afflictio corporalis. Sicut enim bona spiritalia incomparabiliter sunt præstantiora bonis omnibus quæ sub sensum cadunt: ita illorum damna longè pluri sunt æsti-

æstimanda, quàm omnia bonorum corporaliũ detrimẽta. Accedit, quòd hæc pœna ad pœnam æternam sit proxima dispositio. Sicut enim salus æterna pœnãt ex bonis spiritalibus, quæ in hac vita obtinentur; ita miseria æterna sequitur ex horum bonorum inopia & amissione.

Consistit autem hæc pœna spiritalis potissimũ in quatuor malis: Primò, In subtractione gratiæ iustificantis, & totius boni quod hanc gratiam consequitur. Secundò, In subtractione auxiliij interni. Tertio, In subtractione auxiliij externi. Quarto, In excitatione & obduratione. De Primo dicemus in frã cap. 28. & 29. de ceteris dicendum hoc loco. Secundum ergo malum erat, Subtractio auxiliij interni ad salutem opportuni in subtractione etiam imminutionem intello: non enim confertim & tota simul fit hæc subtractio, sed sensim, peccatis sensim crescentibus. Cum homo est iustus, debitum est ei hoc auxiliium, & Deus largè illi tamquam amico & filio suppeditat, vt commodè possit diuinam hereditatem consequi. Amissa autem iustitia per peccatum, non debetur ei hoc auxiliium amplius, cum ius omne ad vitam æternam, ad quam hoc auxiliium perducit, amiserit, sitque reus æternæ mortis, & possit statim in barathrum præcipitari. Vnde Deus ordinariè incipit consuetam curam & opem quam antea ei impendebat, subtrahere: nam iustitia ordo postulat, vt non tanta sit ei cura de salute hominis, cum ipsi post tot beneficia factus est ingratus; inobediens, & inimicus; quanta fuit cum erat amicus, & obediens filius. Hinc fit vt qui semel mortifere peccat, sæpè in eo peccato diu maneat, & in idem sæpius vel in alia labatur, priusquam resurgat: quia nimirum diuina opitulatio per peccatum est imminuta. Quod etiam magis constabit, si explicuerimus quidnam nomine auxiliij interni intelligatur.

68 Tria hoc nomine continentur: *Excitatio, Directio, Protectio. Excitatio* ita est in tribus; in illuminatione mentis; in applicatione phantasiæ ad cogitanda salutaria, vt assidue animo obuersetur; & in affectione pia voluntatis. Animus humanus etiam in fidelibus & iustis magis in rebus spiritalibus patitur tenebras, & obscuro confusoque modo eas apprehendit. Itaque vt possit eas sic concipere & informare animo vt affectus moueatur, sæpè opus est inspiratione diuina qua mens illustretur, ad eas congruenti & illustri modo concipiendas. Verum, non satis est hanc illustrationem semel atque iterum esse factam; quia mens statim suo pondere ad terrena

E e e cogi-

Punitio spiritalis fita in quatuor rebus.

Auxilium internum triplex. Ad Excitationem tria pertinent, illuminatio mentis, applicatio phantasiæ, & affectio voluntatis.

cogitanda deuoluitur. Cum enim à sensibus functio eius pendeat, solum ea quæ sub sensum cadunt (quibus natura consuevit) sponte sua cogitat, & intus seculum familiariter versat. Hinc fit ut nisi ferè assidue iuuetur, difficultates in spiritualibus cogitandis & tardia sentiat, nec diu in illis versari possit: sunt enim illa supra eius naturalem captum & consuetudinem. Vnde opus est auxilio quo eius phantasia corroboretur, eleuetur, & applicetur ad ea quæ diuina illustratione rectè cognouit, facile & congruenter ad affectum imaginanda; ut quasi assidue menti obuersentur, vel saltem exiguo conatu illa in promptu habeat. Nam affectus noster rebus spiritualibus non mouetur, nisi illæ congruo modo sint apprehensæ: non possunt autem factè sic apprehendi, nisi diuina illustratione accedente: nec ea apprehensio diu potest durare, nec esse nobis facilis & expedita, nisi adsit diuina operatio, qua phantasia ad hoc applicetur & iuuetur. Hoc auxilio suppeditante, facile est terrena contemnere, & cælestia sectari, & heroica virtutum opera capessere, ut in Apostolis est videre. Sicut enim qui assidue terrena animo volunt, ut honores, opes, voluptates, tamquam res eximias & amabiles ea concipientes & imaginantes, non possunt ea non amare & persequi: ita etiam qui bona spiritualia cognoscunt, & crebro eorum excellentiam considerant, phantasia ad hoc promptè & facile obsecundante, non possunt ea non amare, & contemptis terrenis omni studio ambire. Sanè apprehensio & consideratio utilitatis rerum temporalium, & præstantiæ spiritualium, est fons omnis perfectionis, & cui ea est vehemens & quotidiana, is nullam vel exiguam in via spirituali difficultatem sentiet. Amor enim vehemens qui ex tali apprehensione nascitur, facile omnes difficultates superat, earumque acerbiteriam sua dulcedine temperat, vel etiam obruit. Sic e contrario apprehensio illa, qua mens cæca mortalium, res temporales concipit tamquam dulces, magnas, splendidas, amabiles, est causa omnis mali & perditionis. Ex quibus patet quanti hæc excitatio sit momenti, cum tota ferè perfectio, & omnis profectus spiritualis hinc pendeat. Sicut enim Protectio tuetur nos à peccatis, ita Excitatio promouet in bono, & adducit ad perfectionem.

Directio.

Alterum est *Directio*. Hoc nomen accipitur dupliciter. Primò, Respectu salutis æternæ; & sic omne Dei auxilium est directio: nam per omne auxilium dirigimur ad salutem. Secundò, Respectu executionis alicuius boni propositi, quo modo hæc accipimus: est que solum illud auxilium quod ad executionem dirigit & iuuat. Cum enim

executio à multis rebus externis sæpè pendeat, quæ non sunt in hominis potestate; maxime ad eam opus est diuino auxilio, quod directionem proprie vocamus. Ratione huius auxiliij dicitur Ieremix 10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.* & Prouerb. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Hæc directio potissimum in tribus sita est: in amotione impedimentorum, in oblatione occasionum exequendi, & in consilij salubris inspiratione. Verbi gratia, in proposito Religionis ingrediendæ, vel alterius rei arduæ ad Dei gloriam conficiendæ, varia impedimenta obiici solent, quæ humano consilio sæpè non possunt amoueri vel perueniri. Deus itaque res ita disponit, ut ista impedimenta tollantur, & ut occasiones se offerant, faciliè & suauiter rem conficiendi, & in rebus perplexis, vtile consilium per se, vel per homines aut Angelos suggerit, viasque suauiter exequendi ostendit.

*In tribus
potissimum
sita est.*

70 *Protectio* ad multa se extendit. Primò, Ut præseruemur à peccatis, præsertim mortiferis. Secundò, Ut custodiatur in nobis semina sanctæ inspirationis. Tertiò, Ut bonum propositum non euertatur. Quartò, Ut executio non impediatur. Denique, Ut multa inuisa vitæ pericula euitentur. Itaque hæc reliquas gratias, totamque animæ salutem, & ipsam quoque vitam corporalem tuetur. Confistit autem potissimum in tribus. Primò, In compressione potentia diabolicæ, ne ipse nos tentet supra vires, ut ex Apostolo. 1. Corinth. 10. vers. 13. colligitur. Facile enim illi offer, totum mundum omnesque iustos peruertere, si totam vim suam artesque omnes expromere concederetur: *Non est potestas super terram que comparatur ei.* Vnde nouissimis temporibus cum solutior erit, ita grassabitur, ut nisi tempus persecutionis accideretur, etiam electi sint peruertendi, & pauci vel nulli saluandi: ut ex verbis Domini Matth. 24. constat. Secundò, In auersione variarum occasionum & tentationum, quæ nobis à diabolo, mundo vel carne obueniunt, quibus Deus videt nos negligentia nostra succubituros, si permitteret nos illis inuolui. Itaque eas benignè abmouet, res ita disponens ut non euentant, vel si euenerint, aliquid aliud intercurrat, quod earum progressum impediatur, vel cogitationes nostras aliò transferat. Tertiò, In auxilio opportunè exhibito, ad eas cum inciderint vincendas. Ita enim iuuat Protectio, ut nihil damni ab insidiis hostium aliisque causis ad malum allicientibus patiamur, sed in omni conflictu perstemus illæsi.

*Protectio in
tribus sita.
In compressione
dæmonii.*

Iob 41.

*In auersione
tentationum.*

*In auxilio
quo vincantur
cum inciderint.*

*Necessitas
diuina prote-
ctionis.*

Quanta verò sit diuinæ protectionis necessitas, perspicuum est, 71
considerata tum nostra tum hostium & nostrorum conditione. Ma-
gna enim est nostra ad bonum imbecillitas, & ad malum procliuitas,
magna ignorantia, magna negligentia: infinitis ad vitam rebus est
opus, quibus conquirendis assidue sumus intenti, non ad eò inter-
rim de salute solliciti. Econtrariò, maxima est diaboli potentia,
maxima astutia & industria, maxima vigilantia; & his omnibus
ad nihil aliud incumbit, nisi ad nostrum exitium. In finitæ quoque
sunt carnis & mundi ad malum illecebræ. Quanta igitur nobis
opus est protectione, ut illius vim & insidias, horum laqueos &
decipulas euadamus? hinc Ecclesia passim suis in precibus diuinam
protectionem tam sedulo implorat, utrans cum Propheta: *Custodi*
nos Domine ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege nos.
& Familiam tuam, quæ sumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ
in sola spe gratiæ caelestis innititur, tua semper protectione muniatur:
aliisque modis plurimis. Denique nihil æquè ac ista protectio est
nobis necessarium, nam debet hoc protectionis auxilium esse assi-
duum. Sicut enim paruulus vel infirmus per loca salebrosa ince-
dens, semper est in periculo cadendi, nisi assidue aliquis ei adsit qui
eum custodiat & sustentet: ita homo etiam iustificatus, ob infir-
mitatem & multas peccatorum occasiones, ac insidias diaboli,
semper est in periculo peccandi, nisi diuinitus custodiat. Itaque
hoc auxilium etiam singula bona opera nostra antecedere, com-
itari & subsequi debet, ut & illa facere, & facta conseruare
possimus. Ex quibus constat, quanti hæc protectio sit momenti,
& quantum periculi nobis eius imminutio adferat.

*Preces Ecclē-
siæ quibus
diuina pro-
tectio implo-
ratur.*

*Hoc triplex
auxilium
enituit in
Sanctis.*

Hoc triplex auxiliu[m] in omnibus Sanctis & maximè in Apo- 72
stolis enituit, eosque ad culmen perfectionis euexit, & ut res maxi-
mas feliciter conficerent, effecit. Protectio enim, à peccatis aliis-
que multis periculis seruauit, & reliquas gratias ac dona diuina in
ipsis est tutata. Excitatio animos ad diuina extulit, & in iis ita cor-
roborauit, ut multis non minus facile fuerit viuere supra se in spi-
ritu iuxta celsitudinem gratiæ, & habere conuersationem suam in
caelis, quàm nobis facile est viuere politice iuxta rationem huma-
nam inter homines. Assistebat enim illis virtus diuina, præsentem ad
caelestia exuans, & phantasiam corroborans, ut illustri & viuido
modo diuina conceperent, & magna facilitate absque tediò in illo-
rum consideratione versarentur. Ex illa autem valida mentis ex-
phantasia impressione, spontè sequebatur in voluntate & appe-
titiu

titu inferiore vehemens commotio ad opera heroica præstanda difficultatesque omnes superandas. Directio effecit, vt res maximas Dei gloriam & salutem animorum spectantes ad felicem exitum perducerent.

Voco hæc auxilia interna, non quòd omnia homini inhæreant, (nam compressio diaboli, impedimentorum sublatio, occasio in ingestio sæpe extra hominem fiunt,) sed quia occulta sunt, & inuisibili modo exhibentur, & sæpe interiùs intra hominem administrantur: vnde meritò dicuntur interna, maximè comparatione facta ad alia quæ exterius & visibiliter exhibentur, de quibus statim dicemus.

73 His explicatis, dico triplex auxilium internum, quod tanti est momenti, per peccatum iusto Dei iudicio sensim subtrahi & imminui. Crescentibus enim peccatis, minuitur diuina protectio, neque Deo ita curæ est, vt eum à peccatis in posterum custodiat. vnde non ita dæmonem coërcet, sed finit variis modis hominem tentari, & ab aliis quoque rebus varias peccatorum occasiones ingeri, neque tantas in pugna vires suggerit. hinc fit vt maiores difficultates homo in resistendo indies sentiat, & in alia ac alia peccata miser corruat, nouis accessionibus quotidie suum onus cumulans. Imminuitur etiam excitatio: rariore enim sunt diuinæ inspirationes, rariore & languidiore bonæ cogitationes, & piæ commotiones. Euanescit omne bonum spiritale, & mors tota rebus terrenis immersa volutatur in ceno carnalium voluptatum; & nisi singularis Dei miseratio præueniat, necesse est illum semper in peius ruere. Denique minuitur directio, vel potius tota tollitur. Vbi enim nullum est bonum propositum, non habet locum auxilium quo dirigatur ad executionem. His tamen addiderim, numquam ita subtrahi omne auxilium internum diuinæ protectionis vel excitationis, quin homo, si faciat quod in se est, per presentem dispositionem quam habet, vel quam Deus ei in necessitate confert, possit tentationi occurrenti resistere, ita vt non necessario ei consentiat. Si enim non posset vllò modo resistere, neque auxilium ad resistendum petere & obtinere, non peccaret illo consensu, vt modo suppono: de quo alibi satis à nobis dictum est. Verùm multis peccatoribus hæc resistentia est adeò difficilis, vt reipsa numquam eam sint præstituri, nisi copiosior gratia eos præuenierit; quia nolunt sibi vim inferre, nec extremum virium suarum impendere vt tentationibus resistant.

Totum hoc
auxiliū mi-
nuitur pec-
catis.

Numquam
ita subtrahi-
tur omne au-
xilium, quin
possint pete-
re auxilium
necessariū ad
resistendum.

Tract. de
Gratia effi-
caci & de Præ-
destinatione.

Ex his factis constat, quomodo auxilium internum propter peccata iusto Dei iudicio subrahatur, & quanti hæc poena in negotio salutis sit momenti.

CAPVT XIII.

De subtractione auxiliij externi.

Subtractio
auxilij ex-
terni.

TERTIA poena spiritalis est, Subtractio auxiliij externi. Hoc 74
auxilium potissimum in sex rebus situm est: in *predicatione*
verbi diuini *sancq. doctrina*, in *Sacramentorū usu*, in *Sacrificio Missæ*,
in *precibus sanctorum ac piorum*, in *bonis monitoribus & consiliariis*,
denique in *tribulationibus & flagellis*. His ferè modis & adminiculis
externis Deus vitur ad homines à peccatis abstrahendos, & ad sa-
lutem perducendos. Sed inter hæc, tria priora maximam vim ha-
bent, adeò vt tota penè salus ex illis pendeat. *Fides* enim (quæ est
totius boni spiritalis & salutis fundamentum) nascitur ex auditu
verbi Dei: *Iustificatio* perficitur, augetur & conseruatur Sacramen-
terum usu: *Sacrificio* ira diuina mundo placatur, flagella impen-
dentia auertuntur, poenæ peccatorū relaxantur, interna gratiæ au-
xilia obtinentur, & dæmonum impetus coërcentur. Ex quibus pa-
ter, quanti hæc bona sunt momenti. Deus tamen propter peccata
Christianorum sæpè ista subtrahit, & oppida, prouincias ac Regna
præsidiis istis destituit: dum iusto iudicio permittit vt in hæretico-
rum redigantur potestatem, qui ministros Ecclesiæ, & vnà cum
ipsis sanam doctrinam, vsum Sacramentorum, Sacrificium sacro-
sanctum, omnemque Religionem ac veram pietatē exterminant,
inestimabili profectò damno. Millies præoptanda erat fortunarum
iactura, liberorum orbitas, perpetua seruitus, & patriæ totius euer-
sio. Et tamen ea est mortalium vecordia, vt hæc detrimenta pati
faciant, modò temporali pace & vilius huius vitæ bonis frui si-
nantur. Meretur sanè huiusmodi punitioem Catholicorum te-
por & oscitantia: qui ita terrenis sunt addicti, vt de cælestibus istis
donis parum sint solliciti. Hanc poenam scinatur Dominus Mat-
thæi 21. cum ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti fa-* 75
cienti fructus eius. & Amos 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mit-*
tam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi
verbum Domini. Hæc famis est apud hæreticos, quia est summa
veritatis inopia, cum tamen omnes dicant se eam sitire & querere.
Præter

Præter hæc, interdum Deus subtrahit Sanctorum preces, vel eas statuit non exaudire. Jeremia 7. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & orationem, & non obstitas mihi, quia non exaudiam te.* similia habentur Jeremia 15. & Ezech. 14. Deinde bonos consiliarios & monitores: Jeremia 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus ergo eam, quia peruenit usque ad cælum iudicium eius.* & Isaia 3. *Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, prophetam, & ariolum, consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.* Denique aufert tribulationes & flagella, quibus homines respiscerent, & permittit eos frui prosperitate prælenti ad breue tempus, tamquam a cura sua repullos, & quasi desperatos. Osee 4. *Non visitabo super filias vestras cum fornicatae fuerint, neque super maritus vestras cum adulterauerint.* Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, idè tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate & impietate sua, &c. innumerabiles enim prosperitate pereunt, qui flagellis saluarentur.*

CAPVT XIV.

De Excecatione & Obduratione.

76 **Q**UARTA pœna spiritalis est *excacatio & obduratio*. Hæc est extrema & maxima pœnarum huius vitæ, & maximè formidabilis, vt quæ ordinariè post se trahat æternum exitium, & illud grauissimum. Sita est *Excacatio* non solum in subtractione diuinæ illuminationis, sed etiã in *positiua iudicij peruersione*. vnde hæc duo ad illam requiruntur. Ratione prioris fit vt salutaria non intelligant, vel non apprehendant, saltem eo modo quo apta sunt affectum mouere. Itaque neque ex concionibus, neque ex colloquiis piorum, neque ex lectione sacra fructum referunt. Ratione posterioris fit vt peruersè de rebus ad salutem spectantibus iudicent, approbantes falsa pro veris, pestifera pro salutaribus, tenebras pro luce, mala pro bonis: & econtrariò, vera ac salutaria detestantes vt falsa & nocentissima, & lucem serenam vt tenebras cimmerias. De talibus dicitur Isaia 5. *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Hanc cæcitatem cordis manifestè videmus in Iudæis,

*Excacatio.
Obduratio.*

*Excacatio in
duobus sita
est, in subtra
ctione diuin
luminis, &
iudicij per
uersione.*

In quibus
clare appa-
reat cæcus
mentis.

dæis, & in nostris hæreticis. Cùm enim tota Scriptura clarissimè ostendat Christum ea specie & forma, quæ a Euangelistæ eum descriperunt, & eius regnum, vt modo floger; Iudæi tamen non agnoscunt, sed illum apprehendunt vt impostorem, eius miracula vt opera satanæ, eius doctrinam vt blasphemiam, eius religionem vt superstitionem. Simili modo hæretici, etfi certissimis notis vera Christi Ecclesia, tamquam ciuitas supra montem posita, omnibus considerare volentibus sit conspicua; ipsi tamen eam pro tali non agnoscunt, sed satanæ synagogam reputant; & Christi Vicarium concipiunt vt Antichristum, Sacrificium Missæ & cultum Sanctorum, vt execrabilem idololatriam, Sacramenta vt vacuas carimonias vel inuentiones humanas, purgatorium & indulgentias vt figmenta Sacerdotum ad quæstum comparata, vota monastica vt superstitiones, bonorum operum merita vt iustitiam Pharisaicam, & alia huiusmodi plena delirij & insanæ mentis. Sicut enim ob peruersam organorum aut mediij dispositionem fit, vt quis amicum concipiat vt inimicum, & candidum vt rubrum vel fuscum, & dulcia tamquam amara, & pulchra tamquam distorta; sic ex praua dispositione animi & phantasie accidit, vt quis pessimè de rebus ad salutem pertinentibus iudicet.

Causa efficiens excæcationis est priuatio lumen, quo menti humanæ ad rerum salutarium cognitionem solet affulgere, parcius ac rariùs illud imperitians, & radios suos, ne in illam animam incurrant, veluti cohibens, propter illius indignitatem. Qui enim ab illo sole assiduè se auertunt, & in tenebras peccatorum abdunt, tenebras luci præferentes; indigni planè sunt, in quos sol ille rationalis radios suos immittat; præsertim cùm mens per peccata fiat terrena, tenebriosa, ac inepta ad illud purum lumen excipiendum. Qua partè verò sita est in iudicij peruersione causa excæcationis, est partim *diabolus*, partim *ipse homo* per suam malitiam.

3. Reg. 21.
2. Paral. 18.

Causa efficiens excæcationis, qua parte sita est in diuini luminis priuatione, est *Deus*, qui iusto iudicio, peccatis hominum id exigentibus, subducit lumen, quo menti humanæ ad rerum salutarium cognitionem solet affulgere, parcius ac rariùs illud imperitians, & radios suos, ne in illam animam incurrant, veluti cohibens, propter illius indignitatem. Qui enim ab illo sole assiduè se auertunt, & in tenebras peccatorum abdunt, tenebras luci præferentes; indigni planè sunt, in quos sol ille rationalis radios suos immittat; præsertim cùm mens per peccata fiat terrena, tenebriosa, ac inepta ad illud purum lumen excipiendum. Qua partè verò sita est in iudicij peruersione causa excæcationis, est partim *diabolus*, partim *ipse homo* per suam malitiam.

Diabolus quætem, quia *Deus* propter peccata remittit ei habenas, & permittit vt animos hominum desiderat & seducat. Colligimus id manifeste ex Scripturis 3. Regum 22. & 2. Paralip. 18. Cùm puniendus esset Achab ob plurima scelera sua, permittit *Dominus* diabolo, qui est spiritus mendacij, vt deciperet prophetas ipsius, & prophetarent illi prospera, quibus ille fidem habens perit, occisus à Syris. *Dedit* (inquit Michæas) *Dominus spiritum mendacij in ore*

om-

omnium prophetarum tuorum: nimirum vt ipsi decepti te decipiant, & inducant ad bellum in quo cadas & succumbas. 2. ad Cor. 4. *Quod si etiam operum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt est operum, in quibus deus huius seculi excacauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriae Christi, qui est imago Dei.* Insinuat causam cur doctrina Euangelij, quae tam manifestis argumentis & signis probatur, quibusdam qui haec omnia vident & audiunt, adhuc sit operata, sic vt eam tamquam fabulas reiiciant; nimirum quia diabolus, qui tamquam Deus toto paene orbe colabatur, eorum mentes excacauit. 2. ad Thess. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Operationem erroris vocat operationem diabolicam tum internam tum externam, qua fit vt error illis pro veritate placeat: quam punishmentem meruerunt, quia veritatem perspicue sibi propositam odio habuerunt & repudiarunt.

78 Sed quibus tandem modis diabolus iudicia hominum peruertit, & quidnam in illis efficit? Sex fere modos reperio quibus id facit. Primus est, Interius concitando humores & spiritus, vnde fiat vt imaginatio longe aliter res apprehendat quam vera sunt, vt patet in phreneticis, & melancholiae morbo affectis: maxime enim imaginatricis apprehensio ab humorum & spirituum qualitate & commotione pendet. Sic effecit vt cultum Eucharistiae & Sanctorum firmiter apprehendant & iudicent esse abominandam idololatriam. Secundus est, Auertendo mentem a consideratione eorum per quae possit intrui, & veritatem assequi. Sic diabolus semen verbi diuini in terram humani cordis seminatum aufert, iuxta parabolam Euangelicam Lucae 8. mentem ad alia diuertendo. Simili modo facit vt libros Catholicorum non legant, vel si legant, non expendant. Tertius est, Excitando in homine varias passiones, praesertim cupiditatis & odij, quae maxime rationis iudicium perturbant, vt experientia docet. Sic odio Christi, Scribae & pharisaei ipsius doctrinam repudiarunt, nec innumeris miraculis, quae & ante Christi mortem, & in morte, & post mortem viderunt, neque Scripturis euidentissimis conuerti potuerunt. His tribus modis vitur diabolus passim cum haeticis, & facit vt leuissimae coniecturae, & aperta sophismata, quae sunt contra doctrinam Catholicam, videantur illis clarissimae demonstrationes: & e contrario, perspicuae demonstrationes, quae Catholicis contra eorum errores adferunt, appareant nullius momenti, & sophismata mera.

Fff Rur-

Quomodo
diabolus iudicia
hominum peruertit.

Rursus ut sanctorum Patrum in sacra Scripturam interpretationes, reputent inventiones humanas, falsas verò imaginationes apertum Scripturæ sensum, & ipsam veritatis pedallam. De hisque, tanta in plerisque in Religionis negotio est iudicij perturbatio, ut dum aliquid ex fidei principiis aperte concluditur, vim & consecutionem formæ syllogisticæ, quæ tamen lumine naturali est perspicua, non capiant, ut sæpè non sine admiratione & animi dolore aduertit. Quartus est, Per varia visa aut verba interiùs phantasiæ obiecta, siue in somnis, siue in aliqua mentis à sensu alienatione, quæ videantur esse reuelationes. Quintus est, Per exteriores apparitiones, vel signa sensibilia à dæmone ad aliquid homini persuadendum obiecta. His duobus modis non utitur passim cum omnibus, sed potissimum cum primariis quibusdam suis amicis, & electis organis, quales sunt hæresiarchæ, hæreseon ministri, pseudoprophetæ & pseudoapostoli noui Euangelij; Anabaptistæ quoque & Svvenckfeldiani huic deceptionis modo valdè obnoxij. Sextus est, Per præstigias & falsa miracula, quibus homines potissimum extremis temporibus seducuntur.

Cur hereticorum dissensionis conuersio.

Ex his facile est cognoscere, cur adeò difficulter heretici conuertantur. Nam præterquam quòd interno lumine sunt destituti, diabolus detinet mentes eorum per falsas imaginationes & prauas affectiones, ut non capiant ea quæ dicuntur, prout se verà sunt, sed prout illis per prauas illas dispositiones apparent: unde non possunt de illis rectè iudicare, nisi priùs impedimenta illa semota fuerint; hæc enim reddunt illos omni boni iudicij in rebus fidei quodam modo incapaces. Itaque conandum primò ut pertinaciam & affectus deponat, anticipatas imaginationes ac opiniones aliquantisper semouendo: deinde, ut auxilium diuinum ad inuestigandam veritatem sedulo implorent, & se paratos ad eam amplectendam offerant. quibus obtentis, tum demum cum bona spe fructus ad conferendum de singulis articulis venietur.

Malitia hominis.

Altera causa excæcationis ex parte peruersionis iudicij, est ipsa malitia hominis, qua seipsum voluntariè excæcat, non solum meritoriè per peccata præuia (propter quæ præuatur illustratione diuina, & permittitur illusioni diabolicæ) sed effectiue & proximè, quòd fit dupliciter. Primò, Quatenus consentit in noxias passiones odiorum & cupiditatum, quibus excæcatur, easque in se fouet. Secundò, Quatenus ob leuem aliquam ratiunculam vult pertinaciter inharere anticipatæ apprehensionis; & ea quæ illi aduersantur, recu-

recusat considerare & excutere: nimirum sic se sponte auertens à luce veritatis, & eligens tenebras. Et si enim diabolus magnam in phantasiâ eorum quæ excæcantur, potestatem habeat, non tamen eam ita perturbat (Deo id minimè permittente) vt vsus rationis penitus impediatur, siue vt non possint aduertere se parum solide procedere: alioquin, nec in ipsa excæcatione, neque in ijs quæ per mentis cæcitatem faciunt, peccarent, quod Scripturis manifestè repugnat: sed eatenus dumtaxat, vt non sine magna difficultate rectè & prudenter in eo negotio, in quo excæcati dicuntur, rationis lumine vti possint. Itaque consensus in errorem & pertinax adhæsiō est adhuc libera: similiter auersio animi à consideratione & examine veritatis omnino libera permanet.

Ex his perspicuum est, aliter Deum, aliter diabolum, aliter ipsum hominem excæcationis dici causam. *Deus* enim solùm est causa *negatiuè, permissiuè, & per occasionem.* *Negatiuè*, quatenus propter peccata subtrahit, seu non impertit interna vel externa auxilia, quibus homo illuminaretur, vt supra explicatum est. *Permissiuè*, quatenus permittit diabolo vt per se suaque membra homines decipiat, eorumque mentes peruertat. *Per occasionem*, quatenus positiuè vel permissiuè est causa aliquarum rerum, ex quibus homines occasionem accipiunt errandi, vel in concepto errore se firmandi. Sic aliqui excæcantur prosperitate, vt hæretici, cum ex successu suarum machinationum putant Deum sibi fauere, & redduntur perniciōses. Item Scripturis, dum ex quibusdam sententiis in speciem ipsorum errori fauentibus, putant à se stare verbum Dei.

Diabolus est causa directa & positiuè, nimirum directè intendens & operans per se & sua organa ad hominum excæcationem. Non tamen efficaciter potest eam efficere absque hominis consensu, sed solùm ad eam disponit: ipse verò homo suo consensu perficit, dum veritatis dilectione & consideratione reiecta, eligit errorem suis passionibus, prauis affectibus, & imaginationibus congruentem.

Excæcationem sequitur *obduratio*: quod enim excæcatio est in intellectu & iudicio, hoc obduratio est in voluntate & affectu. Nam quemadmodum ex illuminatione diuina sequitur in voluntate promptitudo quædam ad obsequendum Deo, & amplectendum quod ille inspirauerit: ita ex mentis cæcitate sequitur durities quædam & obstinatio in malo, per quam salutaribus monitis & diuinis inspirationibus resistitur. quamuis & in ipsa excæcatione obdu-

Discrimen inter causas excæcationis. Deus excæcat negatiuè, permissiuè, & per occasionem. Diabolus.

Diabolus quomodo sit causa excæcationis. Homo suo consensu perficit excæcationem.

Obduratio.

In excacatio-
ne includitur
quædam ob-
duratio.

ratio quædam intrinsicè contineatur, quatenus quis affectum ad-
uersus veritatem obducat, nullis rationibus aut declarationibus lo-
cum relinquens. Consistit obduratio in *fermitate* & obstinata affectus
ad aliquod malum, propter speciem quamdam boni, ad hæsi-
one, qua fit vt neque externis monitis, neque internis inspirationibus,
neque flagellis, neque promissis dimoueri possit, sed velut saxum
scad omnia obduret & impenetrabilem præstet, nisi maiore qua-
dam vi diuinitus impellatur. De his dicitur Ecclesiastæ 7. iuxta
multorum interpretationem, *Considera opera Dei, quod nemo possit
corrige quem ille despexerit. & Iob 12. Si destruxerit, nemo est qui
ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quibus verbis
summa difficultas indicatur, qua sales conuertuntur; & raram
quamdam singularemque Dei opitulationem esse ad hoc neces-
sariam.

Causa obdu-
rationis.

Causa obdurationis, eadem quæ excacationis, & eodem modo.
Deus itaque obdurare dicitur negatiuè, permissiuè, & per occasio-
nem. Vnde non tantùm dicitur obdurare, quia non impertit gra-
tiam qua cor emolliretur, vt quidam DD. subinde dicere viden-
tur; sed etiam quia permittit diabolo vt variis modis homines se-
ducat, & in malo obstinatos reddat, vt supra explicatum est. De-
inde, quia quædam facit vel permittit, etsi ob alium finem, vnde
homines obstinandi se in malo occasionem accipiunt.

Diabolus autem directè est causa obdurationis, variis modis ho-
minem ad eam disponendo, de quibus satis dictum est. Ipse verò
homo sua malicia propriè est causa illius effectrix, quatenus sponte
malum eligit, & firmiter ei vult inhære, omnibus monitis & in-
spirationibus contrarijs repudiatis.

Ex his intelligi potest, quomodo quædam peccata dicantur pœ-
na præcedentium peccatorum: ad Rom. 4. *Propterea Deus tradidit
illos in reprobum sensum.* vbi Philosophi in pœnam idololatriæ di-
cuntur traditi in passionem ignominia. Et Iudæi in pœnam repu-
diati Christi, sunt excacati, ad Rom. 11. Hoc enim non ita intelli-
gendum, quasi Deus in vindictam præcedentium peccatorum ve-
lit hominem incidere in alia peccata, aut hunc finem non det
auxilia efficacia, aut præcipiet hominem in illa, vt Calvinus do-
cuit lib. 1. Instit. cap. 18. sed quia non confert illam gratiam quam
aliàs contulisset qua peccatum fuisset impeditum, & simul permit-
tit diabolo vt grauius tentet, phantasiam perturbet, &c. Ex qua
denegatione gratiæ & permissione sequitur per accidens vt in aliud
pec-

peccatum incidat, in quod alioquin non incidisset. Itaque dicitur peccatum pœna peccati, quia sequitur ex eo quod verè & propriè est pœna, nempe ex denegatione auxiliij efficacis & permissione.

CAPVT XV.

*Pœnam spiritalem sæpè non condonari cum aliis pœnis,
& etiam in peccatis venialibus locum habere.*

83 PRÆTER ea quæ de pœna spiritali dicta sunt, tria valdè sunt notanda. Primum est, Deum, etsi pœnitentibus semper remittat culpam & pœnam æternam, & sæpè etiam temporalem, in quam æterna fuit commutata, præsertim interueniente debita satisfactione, vel Indulgentiarum beneficio; non tamen semper condonare pœnam spiritalem constitutam in aliqua particularium auxiliorum denegatione, vel afflictionum internarum permissione: sed sæpè intuitu præcedentium peccatorum, nimirum vt ea vindicet, huiusmodi pœna, vt. Idem dico de permissione pœnæ corporalis & afflictionis externæ. Etsi enim directè hanc pœnam non infligat, sæpè tamen ob præcedentia peccata (quamuis aliàs condonata) permittit afflictiones corporales, quas alioquin auertisset, si talia peccata olim à nobis patrata non fuissent. Exemplum habemus in Dauide, cui etsi adulterium cum Bethabee, & cædes Uriæ, quoad culpam & pœnam directè debitam, fuisset condonata (præsertim post insignem illam pœnitentiam) ita vt ne Purgatorij quidem vlla pœna deberetur; tamen diu postea ipse ob illud peccatum à Deo punitus fuit rebellionem Absalom, & nefando incestu, quo ille vxores patris sui coram omni populo incestauit. Hæc enim Deus permittit in illius peccati vindictam, vt apertè ei Nathan prædixerat. Sicut ergo Deus illud peccatum postquam omnino remissum erat, (si culpam & pœnam directè infligentiam spectes) adhuc tam grauiter punit, pœna vt ita dicam permissiua; ita sæpè post similem condonationem & satisfactionem, qua non solum culpa, sed etiam debitum pœnæ exhaustum est, punit peccata indirectè aliqua pœna spiritali, nimirum subtrahendo, seu non impertendo tantum protectionis, vel excitationis, vel directionis auxilium, quantum alioquin præbere constituerat, si hoc peccatum non commisisses: permittendo etiam aliquas tentationes & afflictiones interiores, vel scrupulos, quos alioquin non permisisset.

*Non semper
condonari
pœnam spi-
ritalem cum
temporali.*

2. Reg. 12.

Eff 3

Aliud

Aliud enim est condonare culpam & pœnam directè debitam, aliud impertiri omnes pristinos fauores, omnia beneficia quæ antè animo conceperat, omnemque familiaritatem. Itaque illud sine hoc facile potest consistere, estque id etiam moribus hominum sapientissimorum conforme. Etsi enim Princeps subdito qui graui-ter offendit, omnem pœnam condonet, eumque ad suam amicitiam admittat, tamen sæpè fit, vt non tanta beneuolentiæ signa ei exhibeat, nec tantis beneficiis eum afficiat quantis statuerat illum ornare, si non offendisset. Idem sæpè accidit inter amicos. Manet enim alta mente reposta offensionis indignitas, etsi non ad odium, & ad malum aliquod rependendum (quo sensu intellige illud Ezechielis 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, & c. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor*; nimirum ad damnationem, vt verba sequentia indicant:) at certè ad minuendam curam commodorum illius, & beneficentiæ fontes non nihil cohibendos. Vnde vel ob hanc causam sapientissimè dictum est à Sapiente: *De propitiato peccato (ὁ δὲ ἐλεῶμεν) noli esse sine metu.* Etsi enim constaret esse ita condonatum, vt nihil amplius tibi pœnæ restet luendum, tamen non constat, te propter illud non puniendum pœna permissiua vel negatiua, ex qua grande malum potest prouenire: hæc enim pœna sæpè est occasio damnationis. Innumeri enim cum maioribus auxiliis peruenissent ad salutem, qui cum minoribus excidère: quibus fortè maiora illa præparata erant & conferenda fuissent, nisi peccata aliqua graua interuenissent, per quæ prima illa dispositio fuisset mutata & inuersa. Idem dico de tentationibus. Plurimi enim saluati fuissent, nisi certis quibusdam tentationibus Deus eos pulsari permisisset, per quas fuere ad interitum pellecti, quas ille tentationes non permisisset, nisi id prioribus peccatis meruissent.

Eccli. 7.

NOTA.
Peccatum mortale etiã condonatum sæpè postea est occasio damnationis.

2. Cor. 7.

Nemo itaque securum se putet, sed cum timore ac tremore, vt Apostolus monet, salutem suam operetur, pristinas negligentiãs nouo feruore redimens, & priora peccata quibus Deum offendit, magis pro gloria Dei & salute proximi officiis compensans, & assiduis precibus veniam & misericordiam flagitans. Sicut enim peccatis meruit vt Deus ei peculiaria quædam auxilia subtraheret, & tentationes aliquas, spiritalesque afflictiones obuenire iueret: ita studia bonorum operum, & orationis assiduitate obtinere potest, vt noxiæ tentationes auertantur, & maiora auxilia, quibus ad salutem dirigatur aptissimè, conferantur.

Hæc

84 Hæc pœna nō est ordinaria, nec certa aliqua lege statuta, sed arbitraria. Non enim Deus cū omnibus ea v̄gitur, sed adhibet illā vbi & quādo vult, & prout i s̄i placuerit. Quibusdā enim post maxima peccata statim confert maiora auxilia, vt vbi abundauit iniquitas, ibi abundet gratia; nec finit illos magnis tentationibus concuti. Aliis confert auxilia minorā, & multis tentationibus premi sin̄it. Aliis verō non minuit auxilia, sed permittit graues tentationes, vel scrupulos molestissimos, vel alias afflictiones, variosque dolores & angores. Et hæc omnia propter peccata præcedentia iam cōdonata.

Imō, quod magis mirum est, propter peccata parentum sæpē huiusmodi pœnis afficit posteros, vel minora illis gratiæ aduilia largiendo, vel variis afflictionibus & tentationibus exponi sinendo. Exempla habemus in filiis Iudæorum ad fidem conuersis, etsi in perfidia paterna non fuerint instituti; & in filiis pessimorum hæreticorum, præsertim Ministrorum. Sæpē enim Deus ob immania scelera parentum ita est offensus, vt ergo eorum posteros minus videatur esse liberalis & beneficus, non tanta illis impertiens gratiæ munera, quanta aliis impertiret; vel in varias tentationes & calamitates incidere permittens; vt hīc quoque verum sit, Deum *visitare peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem*; & merito orauerit Tobias: *Ne reminiscaris delicta mea vel patrum meorum*. Sic propter peccata patrum *cacitas est in Israel, vsque dum plenitudo gentium intrauerit*. Nec obstat quod apud Ezechielem Dominus veter illud Prouerbiū: *Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obtupescunt*. & expressē dicat: *Filius non portabit iniquitatem patris*. Agitur enim ibi de morte spiritali & pœna æterna, vt patet ex toto illo capite, & ex illis verbis: *Eccc omnes anime mee sunt, vt anima patris, ita anima filij mea est: anima que peccauerit, ipsa morietur*. qua de re vidē Gabrielem Valquez 1. 2. disput. 137. cap. 2. Iudæi enim per illud prouerbiū non tantū significabant, Deum propter peccata parentum punire filios priuatione vitæ & felicitatis temporalis, quod verum est; sed etiam priuatione vitæ spiritalis, & felicitatis futuræ: quod hīc fallum esse ostenditur. pœnam enim quæ peccato propriē debita (qualis est mors spiritalis, & damnatio) solū infligi ipsi peccatori, non filiis aut parentibus.

85 Aliud consideratione dignum est, non solū mortifera, sed etiam venialia peccata sæpē à Deo puniri peculiarium auxiliorum subtractione, & variarum tentationum afflictionumque interna-

Propter peccata parentum interdū filiis minuitur auxilia gratia.

Exod. 20.
Num. 14.
Tobie 3.
Isaie 6.
Ioan. 12.
Rom. 13.
Ezech. 18.

Peccata venialia puniri pœna spiritali.

rum

rum & externarum permissione. Qui enim negligenter Deo seruit, nec est sollicitus ut omnes eius offensusunculas, quantum per fragilitatem humanam licet, caueat; moretur ut Deus vicissim non tantam eius curam gerat, non tantis cum beneficiis foueat. Equum enim est, ut ita se Deus gerat erga nos postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum, iuxta illud Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerso peruertens.* Idem cernitur inter homines. Multae enim paruae offensusunculae amici in Principem, animum eius ab amico alieniorem reddunt, & efficiunt ut minora beneficia & rarius conferat. Hinc peccatis venialibus duo tribuuntur effectus, nimirum quod charitatis feruorem minuunt, & ad mortifera disponant, sicut passim Theologi docent. Nam feruorem minuunt, tum quia abundantiora auxilia, quibus ad feruidos actus virtutum opus est, subtrahunt; tum quia difficultatem, quam mens patitur cum se ad diuina erigere conatur, augent. Crescit enim haec difficultas partim auxiliorum imminutione, partim inordinata affectus nostri ad terrena adhaesione.

Venialia minuunt feruorem dupliciter, subtrahendo maiora auxilia, & ponendo impedimenta.

Disponunt ad mortifera triplici ratione.

S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3

Augustinus.

Disponunt ad mortifera triplici ratione. Primò, Quia auxilio per illa minuuntur. Secundò, Quia tentationes increfcere sinuntur. Tertiò, Quia consuetudo in paruis ad maiora disponit. Qui saepe committit furta parua, incitatur ut oblata occasione tandem furtum committat magnum: qui voluptates illicitas sectatur paruas, proniorem se reddit ad magnas. Actuum enim repetitio auget prauam inclinationem, & tollit sensum metum offensionis; vnde oblato obiecto graui, in quo maior species utilitatis aut voluptatis appareat, facillimè trahitur. Magna itaque est habenda venialium cura, à quibus tantum mali impendet. Pulchrè S. Augustinus lib. De decem chordis cap. 11. *Non est (peccatum veniale) bestia sicut leo, ut vno morsu guttur frangat, sed bestia plerumque minuit, si multa sunt, necant. Si proiciatur quissiam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Quàm minuta sunt grana arenae si arenae amplius in nauem mittatur, mergit illam ut pereat. Quàm minuta sunt guttae pluuiae? nonne flumina implent, & domos decidunt? Ergo ista nolite contemnere.* Haec intellige ratione dispositionis modo iam explicato.

Ob teporem diuini auxilij.

Tertium consideratione dignum est, Non solum ob peccata, sed etiam ob teporem & neglectum quemdam diuinarum inspirationum, qui tamen per se non sit peccatum, diuina auxilia ple-

plerumque minui. Cui enim Deus magna auxilia offert, & res magnas inspirat; si ille vel angustia animi, vel affectu commodioris vite negligat, & eo nomine quod non sint præcepta, nolit consentire diuinæ vocationi; meretur in posterum huiusmodi destitui, & minoribus dumtaxat iuuari: meretur vt Deus non tanta illum cura tueatur, non tantis præueniat excitamentis, non tantis dirigat successibus. hinc multæ tentationes, multæ afflictiones corporales & spirituales, multaque salutis pericula. Vnde magni rerum spiritualium magistri periculosum censent neglectum diuinarum inspirationum, & teporem in progressu spiritus, eoque referunt minas illas Spiritus sancti Apocal. 3. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus: incipiam te euomere ex ore meo.* & illud Psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* & illud Proverb. 1. *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui respiceret, &c. Ego quoque in interitum vestro ridebo.*

CAPVT XVI.

*De septimo Iustitiæ opere, nempe Christi
Passione & morte.*

87 SEPTIMO venit iustitiæ diuinæ seueritas in magnitudine precij & satisfactionis quam pro peccato exegit. Nullæ hominum lacrymæ, nulli gemitus, nulla pœnitentia, quantumuis grauis & diuturna, illi satis fuere: nullæ cælestis Curia preces ac supplicationes, etiam si ipsa multorum millium annorum luctus ac pœnitentias (si id fieri potuisset) pro homine subeundas detulisset, aut etiam se totam in sacrificium expiando illius peccato obtulisset. Nihil horum satis illi fuit, nihili hæc omnia æstimauit ad peccatum condonandum: sed miram & omnibus sæculis inauditam, omnibus sapientibus incognitam, omnibus mentibus obstendam satisfactionem exegit, nimirum vt Filius naturam nostram assumeret, & in ea mortem pro nobis pateretur, suoque Sanguine crimen nostrum dilueret. Nulla alia lege nobis condonare statuit, certus æternum irrogare supplicium mortalibus omnibus, ni talis pro eis victimâ caderet, & tale lytrum illis redimendis repræsenteretur. Violauit decretum Regium infimum aulae mancipium, & reum mortis peragitur: supplicat pro illo Regi tota Curia, & omnes regni Ordines, tot Episcopi & venerabiles Prælati; tot Principes,

Vide Anselmum lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 21. & S. Leonem Ser. 1. & 5. de Passione Domini.

G g g Duces,

Duces, Comites, Nobiles, & illustres viri: nec tamen Rex mouetur, sed perit in sententia mortis, nisi filius vnicus, Regni heres, delicia & gaudium totius Curie, mancipij statim assumat, & mortem pro reo mancipio subeat. Quis ad hanc tam inauditam seueritatem non obstupesceret? quis in manus istius Regis incidere non formidaret? Talem & longè maiorem seueritatem præstitit Deus. In finitè enim amplius est, exigere mortem Filij Dei pro condonando peccato humani generis, quàm exigere mortem filij Regis pro remittendo peccato mancipij. Similiter in finitè amplius est, Filium Dei assumere formam serui, quàm filium Regis demittere sibi ad statum mancipij.

Ostendit itaque Deus in hoc opere infinitam iustitiæ suæ seueritatem, dum tantum & tale lytrum exegit, nec vllò alio quantumuis magno contentus esse voluit. Ostendit simul infinitam charitatis & misericordiæ suæ dulcedinem, quatenus ipsemet, vt nos ab æterno exitio liberaret, hoc ipsum lytrum gratis nobis donauit. Sic enim (ipso Filio testante) *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Itaque opus nostræ redemptionis simul est infinitæ seueritatis & infinitæ dulcedinis, infinitæ iustitiæ & infinitæ misericordiæ, diuersa nimirum consideratione: in eoque *miser cordia & veritas obuauerunt sibi, iustitia & pax osculat & sunt*. Verùm de hoc opere satis multa diximus Lib. De misericordia.

Ad iustitiam quoque pertinet, quòd non satis esse voluit ad salutem, Christum pro nobis dependisse pretium, & repræsentasse lytrum: sed insuper oporteat illud nobis certo modo applicari, non tantum per fidem, (vt hæretici volunt) sed etiam per Sacramenta, quæ sunt veluti vascula pretium Sanguinis Christi inclusum continentia. Itaque dum hæc suscipimus, efficiamus illius pretij participes, & propter illud iustificamur. Deinde per bona opera, & mandatorum obseruationem, iuxta illud Saluatoris nostri: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Si post Baptismum in peccatum incidimus, vult nos aggre pœnitentiam, & neri illius in nos ipsos vindices & vltores: aut certè post hanc vitam gratia sustinere tormenta, vt peccati amaritudinem, saltè ex parte, degustemus. Si omnis pœna pariter cum culpa statim ad primum cordis gemitum remitteretur, nesciremus quantum fellis & veneni mellita peccati superficies intus tegat. Ob eandem causam voluit nos multis miseris corporis, & afflictionibus animi esse subiectos, vt ex modicis

Ioan. 3.

Opus redemptionis est opus infinitæ seueritatis, & infinitæ misericordiæ. Psal. 84.

Matth. 19.

Agenda pœnitentiæ vltimus gustus peccati amaritudinem.

cis peccati condonati reliquiis discamus, quam immane supplicium illi debeat, & post hanc vitam propter illud sit homini irrogandum, si ante remissum non fuerit.

CAPVT XVII.

De octauo opere diuina Iustitia, quod consistit in pœnis Purgatorij.

90 OCTAVO cernitur diuina iustitiæ seueritas in pœnis purgatorij, quibus post hanc vitam pro suis peccatis, etiam quoad culpam & pœnam æternam condonatis, animæ iustorum castigantur, nisi fortè antea per lacrymas & opera pœnitentiæ Deo plenè satisfecerint. Verùm paucorum est ea puritas. Itaque mox ut à corpore sunt egressæ, rapiuntur sub terram, longissimo tractu viarum, per loca tetra & tenebrosa ad pœnalem specum igne sulphureo æstuantem, animarum reorum carcerem & ergastulum. Hic miris exercentur pœnis, & luunt præteritæ vitæ delicias, millecuplo amplius dolorum & amaritudinis sustinentes, quàm ex rebus huius sæculi voluptatis ac dulcedinis vniquam perceperunt. Sunt enim illius ignis tormenta omnibus illis quæ homo mortalis in hac vita sustinere potest grauiora, & sæpè ad multos annos producentur.

Purgatorium
sub terra.

Pœna Purgatorij grauior
res omnibus
pœnis huius
vitæ.

De grauitate testatur S. Augustinus in Psal. 37. v. 1. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatio igne non sit opus. & infra: Dicitur enim, Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, Saluus erit, contemnitur ille ignis: ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Idem pœnè iisdem verbis docet Rufinus in eundem Psalmum. S. Gregorius vericulum illum primum Psal. 37. (qui est tertius inter Pœnitentiales) explicans, sic ait: *Quasi dicat: Scio futurum esse, ut post huius vitæ exitum alij flammis experientur purgatorij, alij sententiam subeant æternæ damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsentem intolabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transiens in teo correctionis purgari. Beda in eundem vericulum: *Nec immeritò tantum timet hanc correctionem (purgatorij ignis) quia attendit eam esse grauiorem, quàm quidquid vniquã passi sunt latrones, vel sancti Martyres. Eucherus Lugdunensis Hom. 3. de Epiphania, & passim Patres Latini, qui veros & acerrimos ignes ibi ponunt.**

• Ggg 2 De

*Diuturnitas
pœnarum
Purgatorij.*

*In Vita
S. Mariæ
Oigniacensis,
per Iacobum
à Vitriaco
Cardinalem.*

De diuturnitate. dubitandum non est, plurimos ibi ad multos annos detineri, cum anniverſaria defunctorum in Ecclesia inſtitui perpetua videamus, & Sacrificia quotidie offerri pro ijs qui ante aliquot ſecula defuncti. Legimus etiam in probatis revelationibus, quosdam uſque ad diem iudicij ibidem detinendos: quod ſane admodum horrendum eſt. Omnium pœnarum, quas humana natura experiri hætenus potuit, grauiſſima eſt pœna ignis. Verum non poteſt in hac vita eſſe diuturna: ſtatim enim diſſoluit corporis temperamentum, & harmoniam qualitatum, vitæ conſeruandæ neceſſariam; quo factò, anima tamquam vinculis ſoluta euolat, & corpus manet abſque dolore & omni ſenſu. Poſt hanc vitam poterit eſſe diuturna, & etiam ſempiterna, tam in anima ſeparata, quàm in corpori iuncta. Cum enim ipſa anima non poſſit mori, utpote ſimplex ſpiritus per ſe ſubſiſtens, nec amittere ſenſus ſui vigorem & viuacitatem; poteſt quantumuis magnam pœnam, & quantumuis longo tempore ſuſtinere.

Tormentum ignis in hac vita tantos adfert dolores, ut etiamſi ad breuiſſimum tempus, ad horæ quadrantem duret, ſummam apud omnes excitet commiſerationem, quamuis qui illud patiuntur, ſuis ſcleribus ſint commeriti; ut videmus, cum tales publice in foro tota ciuitate ſpectante comburuntur. Quid ſi ergo duraret hoc ſupplicium aliquot horas, vel diem integrum? quid ſi menſem vel annum? quid ſi decem vel centum annos, Deo animam in corpore retinente, nec permittente corpus diſſolui? Non eſt dubium, quin tale ſpectaculum toti orbi incredibilem incuteret horrorem, & omnes ad commiſerationem commoueret: nec quiſquam facile reperiretur, qui auderet aliquid committere, propter quod vidiffet & ſciret tanto tempore pœnam ignis ſuſtinendam. At poſt hanc vitam non ſolum erit diuturnior, ſed etiam in plurimis longè acrior & vehementior, quàm poſſit eſſe in corpore mortali. Poſteſt enim diuinâ potentiâ augeri in duplû, in quadruplum, in decuplum, in centuplum, & ſic deinceps ſine termino, pro grauitate vel multitudine delictorum, quorum pœnæ reſtant luendæ. Quæ conſideratio ingentem omnibus terrorem incuteret, ſi alitè in mentem demitteretur. Si enim ſimplex ignis dolor intolerabilis eſt, quantò intolerabilior erit, ſi in decuplum vel centuplum auctus fuerit? Denique tempus breue in grauiſſimis doloribus videtur eſſe longiſſimum. Teſtis ille miles, qui cum horam tantum vnicam fuiſſet in Purgatorio, putauit ſe ibi fuiſſe annos plurimos: de quo

quo S. Antoninus 4. parte titul. 14. cap. 10. §. 4.

92 His accedit, quod tormenta in hac vita si continentur, paulatim mitescant, & minus sentiantur. Primo aggressu sentiuntur maxime, & dolor est vehementissimus; sed paulò post incipiunt diffipari spiritus animales, (qui necessarij sunt vt anima in corpore sentiat) & temperamentum corporis dissolui: atque ita dolor minus sentitur. In altera vita non mitescunt continuatione, nec doloris sensus vlla ex parte minuitur, quia anima nuda non eget spirituum ope vt sentiat dolores, sed ipsa per se immediatè omnem vim tormentorum excipit, Deo singulari modo cum ipsis causis concurrente.

Itaque triplici ex capite ibi dolores sunt longè maiores quàm in hac vita, nimirum ratione durationis, ratione acrimonie seu intensiõnis, & ratione perseuerantiæ in eodem statu, seu æqualis perceptionis ipsius animæ. Quare meritò dicunt sancti Patres, tormenta illa esse grauiora quàm ea quæ vel latrones vel Martyres passi sunt, vel quisquam mortalium in hac vita pati queat.

Ex triplici capite dolores post hanc vitam sunt maiores quàm in hoc saeculo.

93 Quanta ergo est illa Dei seueritas, qua in suos amicos, in suos filios, & Regni sui heredes ita sauit, in loca teterrima illos procul a suo conspectu ablegans, & tanto tempore tantis cruciatibus subiiciens? Quis vniquam ita suos tractauit hostes? quis inimici sui etiam iuratissimi non moueatur misericordia, si eum vel ad quadrantem horæ in medio ignis colligatum tenuerit, flammis vndique corpus eius vsque ad viscera depascentibus? Sed alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Sicut eius misericordia est infinita, ita etiam iustitia est infinita: sed in hoc saeculo est locus misericordie, in futuro soli iustitiæ. Hic facile Deus nostris afflictionibus vel spontè susceptis, vel patienter toleratis, commouetur ad ignoscendum, & millefima parte soluti debiti acquiescit, reliquam summam liberaliter expungens: ibi verò durus exactor nouissimum extorquet quadrantem; nec magis supplicij miserorum commouetur, quàm si viscera sint ei ferrea. Et meritò: nam qui oblatam misericordiam, & facilem redimendæ pœnæ rationem hic neglexerunt, digni sunt vt sentiant rigorem iustitiæ. Sux fatuitati assignent, quòd in hanc calamitatem deuenerunt. Accedit, quòd hac ratione intelligant quantum intersit inter id quod debetur peccato secundum legem iustitiæ, & id per quod Deo hic possumus satisfacere interuentu misericordie.

Mis. Dei seueritas in amicos & filios, tamen iustissima.

94 Porro duplici affliguntur pœna, sensus & damni. Pœna sensus

Duplici pœna affliguntur, damni & sensus.

est ab igne, qui ut diuinæ iustitiæ est instrumentum, potest affigere animas corpore exutas, non minus quàm corpori inclusas. Anima enim est quæ sentit, dolet, affligitur, non corpus, etsi ipsa sit in corpore. Si ergo corpore vestita, igne affligi potest, cur non etiam nuda, præsertim cum sic immediatius ab igne tangatur? verum de hoc infra pluribus.

Pœna damni consistit in eo, quod ob culpam earum Regni possessio differatur, quodque magnos æternæ gloriæ thesauros, quos facile consequi potuissent, neglexerint. Si aliquis adoptatus à Rege, in ipso puncto quo aditurus est Regni possessionem, eiceretur ob aliquam culpam in exilium, donec illam variis suppliciis plenè luller; quantum inde conciperet dolorem? quantum ingemisceret se culpam illam admisisse, & pro ea tempestiuè non satisfacisse? Ita animæ iustorum cum se à gloriâ parata eo momento quo conferenda erat, vident repelli, & in teterrimum exilium ablegari, donec pro antiquis culpis integrè satisfaciant, incredibili sauciantur dolore. Quantus enim ille sit dolor, ex eo conici potest, quod ex quadruplici consideratione nascatur. Primò, Quod videant se tanto priuari bono, idque eo tempore quo illo fruendum erat. Apprehendunt acerrime illius boni immensitatem, & simul illud ardentissime desiderant. Secundò, Quod videant id fieri ob suam culpam. Tertiò, Quod neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere, cum facillimo negotio redimi poterat, & tantas nunc cogantur sustinere calamitates, id enim non paruum incendit doloris acerbiter. Quartò, Quod ingentes æternorum bonorum thesauros, & celestis gloriæ gradus, quos facile consequi potuissent, sua culpa & tepore neglexerint. Hæc omnia viuacissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant, ut etiam in damnis humanis experimur, cum ista quatuor concurrunt. Itaque credibile est, illum animi dolorem longè esse maiorem, quàm homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possint: quia bonum illud longè est excellentius, & apprehensio acrior, & desiderium ardentius, & hæc omnia assidua, numquam interpellata, noctes, diesque vrgentia. In doloribus huius vitæ crebra interrupcio, per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit, quod diuina iustitia de industria faciat, ut damnâ suam etiam acrius apprehendant, quàm per se facerent, ut maiori dolore vrantur. Ideo enim fit hæc dilatio, & hoc tempore exilium, ut eius dolore purgentur, & pœnas pristinarum culparum luant. Secus erat

Dolor ex pœna dantur, quadruplici consideratione.

erat in Patribus antiquis Limbo detentis: non enim ob culpam aliquam personalem ibi detinebantur gloriæ exortes, sed ob conditionem naturæ, pro cuius debito pretium nondum erat exhibitum. vnde nondum venerat tempus, quo gloria illis esset debita.

CAPYT XVIII.

De plagis nouissimis, nono Iustitiæ opere.

96 **N**ONO cernetur iustitiæ diuinæ seueritas in multiplici plaga, quæ antecedit vniuersale iudicium. Sicut Ægyptij multis & asperis plagis afflicti fuerunt ob impietatem, vt resipiscerent, priusquam demergerentur in profundum maris, & deleerentur omnes: ita mundus antea grauissimis afficietur flagellis, quàm extrema seueritas (qua omnes impij demergentur in barathrum inferni) in illum stringatur. Pari modo ante excidium Iudaicum, multa per septennium præcessere prodigia & signa horrida, & caelestes terrores, iram Dei Iudaico populo impendentem denuntiantes: multæ bellorum clades, pestilentia, fames, incendia, dirapitiones, quibus grauissimè fuerunt exagitati. Vtriusque nationis calamitas & excidium typus est excidij mundi: nam Ægyptus mundum mysticè designat: & Ierusalem impia, spiritualiter est Sodomæ & Ægyptus: vt in Apocal. cap. 11. habetur. Vnde & ipse Dominus de excidio Iudaico tractans, simul miscet ea quæ pertinent ad excidium mundi, ita de vtroque differens, vt aperte insinuet illum huius esse typum, & hunc in illo adumbrari & præfigurari. Quo autem ordine ista euentura sint, non est ita certum. Quædam longiore tempore extendentur, & simul cum alijs extabunt, vt bellum & fames; alia alijs succedent, alia semel fient, alia subinde reperentur. Nobis satis erit præcipua recensere.

*Plaga Ægypti
prius typus
plagaru nouissimarum.*

*Iosephus l. 7.
de bello Iudaico c. 12.
Baronius ad
annum Christi
68.*

*Matth. 24.
Marci 13.
Lucæ 21.*

97 **P**rimum ergo, apperente Antichristi aduentu, orbis agitur maximis bellis & seditionibus. Nam exciso Imperio Romano, omnia redigentur ad decem Reges, qui vt omnia, ditioni suæ subiciant, Prouincias omnes & Regna grauiter affligent, maximisque bellis arrent. De bellis insinuat Dominus Matth. 24. & Lucæ 21. cum ait: *Cum audieritis praelia & seditiones, nolite terri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Surget enim gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.*

Bella.

Quod autem Imperium Romanum penitus sit excidendum, & omnia

omnia

Romanum
Imperium in
decem Reges
diuidendum.

omnia Regna in decem Reges diuidenda, colligitur ex Scripturis & Patribus. Ac primùm signatur id per decem digitos pedum statuæ, quæ in somnis ostensa Nabuchodonosori, Daniel. Huius enim statuæ pedes erant ferrei, & desinebant in decem digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles. Tibiæ ferreæ denotant Monarchiam Romanam; quæ sicut ferrum omnia comminuit & domat, ita omnia alia Regna domuit & subiecit. & sicut duæ sunt tibiæ, ita duplici Imperio constitit, Occidentali & Orientali. denique, sicut tibiæ desinunt in decem digitos pedum, tamquam in extremum & terminum tiliarum, & totius statuæ: ita Imperium Romanum desinet in decem Reges, in quos omnes Monarchiæ & Imperia huius mundi terminabuntur. Illis enim deletis, nulla amplius Monarchia expectanda, præter Regnum Sanctorum & Monarchiam Christi, quæ omnia obtinebit.

Nec obstat, quod post illos decem Reges Antichristus orbis Monarchiam obtinebit: tum quia ipsius Monarchia erit admodum breuis, tum quia septem ex illis simul cum Antichristo, & sub ipso regnabunt, & cum ipso interficientur, ac proinde cum ipsis Monarchia huius mundi cessabit. Idem Reges designantur decem cornibus quartæ bestię, quæ in visione ostensa Danieli cap. 7. Quarta enim bestia, quæ erat terribilis, & omnia comminuebat, designat quartam Monarchiam, ut ibidem habetur; quam constat esse Romanorum: & decem cornua illius, decem Reges sunt, ut ibidem Angelus Danieli exposuit, nempe in quos Monarchia illa desinet. Idem apertius habemus Apocal. 17. in quem locum vide Riberam.

Eadem est communis SS. Patrum sententia, ut testatur S. Hieronymus in cap. 7. Danielis, ubi refutata Porphyrij expositione, sic scribit: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores, Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuisant, & undecimum surrecturum Regem paruulum, qui tres Reges de decem Regibus superatus sit, id est Aegyptiorum Regem, & Africa, & Aethiopia, sicut in consequentibus manifestius dicemus: quibus interfectis, etiam septem alij victori colla submittent.* hæc ille. Ex quibus patet, sub finem mundi toto parè orbe maxima fore bella.

Terræmotus.
Plinius l. 2.
c. 24.

Secundò, *Erunt magni terræ motus per loca.* Hi motus tanti erunt, quanti numquam antea. Itaque non solum multæ ciuitates his subuertentur (quod sæpè aliàs factum legimus in Historiis) sed etiam

iam montes & insulæ suis locis movebuntur, & innumerabilis hominum & animalium multitudo opprimetur vel absorbebitur. De hoc terræ motu sic scribit Ioannes in Apoc. c. 6. *Et vidi cum aperisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis: & stelle de celo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum à vento magno mouetur, & calum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons & insula de locis suis mota sunt.* Ingens hic terræ motus erit ante aduentum Antichristi, vel saltem ante eius Regnum, & simul habebit coniuncta signa cælestia ad maiorem terrorem mortalibus incutiendum. Neque incredibile videri debet, quod hic de montibus & insulis dicitur: narrat enim Plinius, L. Martio & Sext. Iulio Coll. in agro Mutidensi duos montes vi terræ motus inter se concurrisset crepitu maximo assultantes, & recedentes, inter eos flamma fumog, in calum exeunte interdum spectante à via Aemilia magna equitum Romanorum, familiarumq, & vltorum copia. Addit Plinius: *Non minus mirum ostentum & nostra cognouit ætas, anno Neronis Principis supremo, pratis oleisq, intercedente via publica in contrarias sedes transgressis in agro Marucino.*

Lib. 2. c. 83.

Similia nouissimis temporibus euentura indicat aperte Psalmita cum ait: *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Sonuerunt & turbata sunt aqua eorum, (id est aquæ maris,) conturbati sunt montes in fortitudine eius (Dei.)* Quod enim loquatur de temporibus nouissimis, quando omnes gentes ad spectu prodigiorum maxime turbabuntur, & Regna concident, & Antichristi exercitus delebitur, manifestum est. Neque semel tantum, sed sæpius magni terræ motus fient illis temporibus, vt ex Apocal. patet. Maximum omnium describit S. Ioan. c. 16. qui fiet tempore Antichristi, cum septimus Angelus phialam suam effuderit. *Facta sunt, inquit, fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus sic magnus.* Græcè *ἡδύστη* & *οἰσμοδότης* *πέλας*. congeminat verba, vt exprimat eius insolitam magnitudinem. Hoc terræ motu, vt ibidem ait, ciuitas magna, nempe Ierusalem, vbi erit sedes Antichristi, scindetur in tres partes ingenti hæc, & nultæ ciuitates impiorum corruent. Insulæ suis locis movebuntur, vel mari tegentur, & montes plurimi concident ac soluentur. Sic sensim orbis terrarum vastabitur, & ad extremam vastitatem disponetur.

Psal. 45.

H h h

Ter-

Obscuratio
solis, &c.

Tertia plaga erit, Horrenda species & obscuratio solis & luna, & lapsus stellarum de cælo. qua de re Ioan. cap. 6. & 8. & Dominus Matth. 24. Marci 13. & Lucæ 21. Maximum ea res incipiet horrorem videntibus, ita vt arefcant & contumescant præ timore, & expectatione malorum quæ superuenient vniuerso orbi, vt Dominus apud Lucam ait: *Nam, inquit, virtutes cælorum omnebuntur, id est, sol, luna, & stellæ de statu suo deturbabuntur.* Stellæ cadent de cælo, nempe quoad apparentiam, & hominum existimationem, quia de summa aëris regione cadent multæ ignitæ faces instar stellarum. Loquitur enim Scriptura vulgari modo, non Philosophico.

Conturbatio
maris.

Quarta plaga erit, *Ingens conturbatio maris*, partim per tempestates & procellas, quibus ita agitabitur, vt sonitus fluctuum procul in mediterraneis cum ingenti horrore audiatur: partim ex terræ motu, quo etiam mare ipsum ab imo fundo vnâ cum insulis concutietur, & aqua in sublime extolletur. Hinc plurima naufragia, & multarum insularum & regionum maritimarum submersiones: quibus fiet, vt ad tempus, donec mare se recipiat, aquis tegantur. Si enim vnus Tiberis, qui exiguus est fluctus, aliquando ita exundauit, vt aquæ mœnia vrbs Romæ transcenderent, & se per illam urbem infunderet: quæ clades non expectanda ex vastissimis fluminibus, & ex ipso mari in illa summa totius naturæ turbatione, quando orbis terrarum pugnabit pro Deo contra insensatos? Indicatur hæc plaga à Domino, quando ait: *Et in terris pressura gentium & confusio sonitus maris & fluctuum:* vel vt Græcè habetur: *Καὶ ὅτι τῆς γῆς σιωπὴν ἔθωβον ἐκ ἀπορίας, ἠχίονος θαλάσσης & σάλου.* id est, *Et in terra pressura seu angustia Gentium præ consilij inopia, sonante mari & fluctibus.* vbi indicatur, istam animi perplexitatem magna ex parte prouenturam ex maris agitatione, quæ terris cataclysmum minabitur.

Pestilentia
& fames.

Quintò, Erunt *pestilentia & fames.* Quantum vtrumque sit malum, patet in excidio Ierosolymitano, vbi paucis mensibus peste & faræe consumpti supra nongentia milia. Pests oriri solet tum ex terræ motu, halitu venenato, qui ex visceribus erumpit, aërem inficiente; tum ex bellorum miseriis, tum, ex eluuiouibus, postquam aquæ defluerint: denique non deerunt tunc temporis multæ causæ quibus aër inficiatur. Fames sæpè pestem comitatur, vel eam sequitur, deserta per pestem agricultura. Eandem facillè multis modis inducere potest Deus, quando ipsi visum. Malum hoc peste acerbius: nam longo tempore cruciat antequam occidat, adeo

aded vt vix vllum fit illi comparandum. Hæ plagæ bona ex parte præuenient Regnum Antichristi: nam Dominus insinuat, *hec esse initia dolorum & malorum*, quæ nimirum erunt sub illius Regno. Itaque sequentur multæ aliæ, quas Dominus breuiter complexus est cum ait: *Terrorisq; de celo, & signa magna erunt*. Hæ in particulari recensentur in Apocalypsi.

Marth. 24.

Marci 13.

Luce 21.

100 Sexta ergo plaga fit, *Plaga grandinis & ignis*. Cadet enim grandis variis locis mixta sanguine & fulminibus, quibus in terram delatis tertia pars terræ, & tertia pars arborum, & omne fœnum viride comburetur. Quod non ita intelligendum, quasi in singulis regionibus tertia comburenda sit, sed quod in variis locis orbis erit aliqua exustio, ita vt omnibus simul collatis possit videri tertia pars exusta. Similis ferè fuit plaga Ægyptiaca septima, in qua etiam fulmina grandine mixta ferebantur, & vastabant omnia quæ foris erant, de quo supra Cap. 8.

Plaga gran-

dinis & ignis

Apoc. 8.

Exod. 9.

Sap 16.

Septima erit, *Mons ardens*, nempe ingens massa pinguis materiæ in aère concreta & accensa, quæ instar montis ardentis ruet in mare: quo fiet vt tertia pars maris vertatur in sanguinem, & tertia pars piscium moriatur, & tertia pars nauium intereat. Credibile est hanc massam primò in sublimi, & in initio lapsus, instar montis ardentis conuictam apparituram oculis hominum: deinde in progressu spargendam in varias partes, vt variis locis mare inficiat. Non minus mirabilis fuit pluuia ignis sulphurei, qua regio Pentapolis deleta, de qua supra Cap. 7. Non est putandum, vi huius montis ardentis tertiam partem maris vertendam in sanguinem, vel colorem sanguineum: sufficit vt sit signum quo mortalibus incutiatur timor, & vt ad eius præsentiam illa mutatio in mari diuina virtute subito peragatur, sicut in plagis Ægyptiacis: cum enim aqua fluminis virga Moysis esset percussa, statim omnis aqua Ægypti versa est in sanguinem: cum puluis eadem virga percussus esset, omnis puluis Ægypti versus est in cinis, &c. cum Moyses manipulum cinerum sparsisset in aërem, per totam Ægyptum ortæ sunt in hominibus pustulæ.

Apoc. 8.

Exodi 7. & 8.

Octaua erit, *Ingens Cometes ardens*, qui delapsus in terram inficiet tertiam partem fluminum, & fontes aquarum, reddetq; aquas instar absynthij amaras, ita vt non sint potabiles.

Apoc. 8.

Nona erit, *Obscuratio solis, lune, & stellarum*, secundum tertiam partem, perinde ac si pro tertia parte paterentur eclipsim. quæ res erit horrenda visu, & maximè terrorem mortalibus inferet.

Obscuratio

solis secundum

terciam partem.

Apoc. 8.

Apoc. 9.

Decima erit, *Plaga locustarum*, à quibus vexabuntur impij per quinque menses. Ista locustæ egredientur de fumo putei abyssi. Hic Interpretes multum laborant, & ferunt Metaphoras vel Allegorias confugiunt. Quidam enim per *locustas* intelligunt hæreticos, alij exercitum Barbarorum. Verum, ut reliqua quæ de istis locustis dicuntur, accommodentur, non parum laborandum, multaque violentè torquenda. Non video, cur non possit de peregrino genere locustarum accipi. Itaque totus hic locus sic videtur posse intelligi: Virtute diuina profundissimum hiatus alicubi in terra vel montibus aperiendum, vnde immensa vis fumi exeat, sicut sæpè ex montibus ardentibus (& nominatim ex Vesuuiio monte Campaniæ) tanta fumi & cinerum copia per multos dies eiecta est, ut ad ducenta vel trecenta passuum millia, & amplius, omnia obscuraret. Qua de re scribit Dio in Tiro. Primum in monte Vesuuiio & regione finitima interdum & noctu magnum numerum hominum inuisitatae magnitudinis in aëre visum vagari, qui sine dubio demones erant gigantum specie, portendentium cladem impendentem: mox consecutam maximam siccitatem, & graues terræ motus: auditos quoque sonitus subterraneos tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpisse, & omne cælum resonare, & repente ingentem fragorem exauditum, quasi montes simul conciderent. Tum verò exiliisse primum immensos lapides, deinde magnam copiam ignis fumi que, ita ut omnem aërem obscuraret, & solem occultaret. Vnde plerisque persuasum fuisse, mundum in chaos redigi, atque igne consumi: tantam enim fuisse copiam cineris, ut terram, mare, atque ipsum aërem completeret, maximo illato damno hominibus, prædijs, & pecoribus: omnibus piscibus & volucris premeis, & duabus urbibus Herculano & Pompeiis, populo sedente in theatro, penitus obrutis. Postremò, tantam fuisse cinerem, ut inde peruenerit in Africam, Syriam, & Egyptum; introierit etiam Romam, eiusque aërem compleuerit, & solem obscurauerit, ac demum grauem pestilentiam excitauerit. hæc ille. Accidit hoc circa annum Domini 81. sub tempus Autumni, Similia accidere ante paucos annos in Italia Occidentali, & non ita pridem in Insula S. Georgij, quæ est vna ex illis quas *Terceras* vocant.

Ex quibus constat, in terræ visceribus multa & immania latere incendia, quæ iam compressa tenentur, ut tunc cum orbis vastandus erit, erumpant, & primo omnia fumo & cinere infestent, deinde

inde simul cum igne conflagrationis terram exurant. Vnde patet, non esse incredibile, quod de fumo putei abyssi diximus. Nec obstat quod infernus à Ioanne vocetur aliquando *puteus abyssi*; quia non solus Infernus, sed omnis hiatus profundissimus, cuius non est reperire fundum, dicitur abyssus, & puteus, vel fouea abyssi, id est, puteus abyssalis, Græcè *ὄψις ἀβύσσου*. Adde, non esse incredibile, hiatus illum vsque ad inferos extendendum, cum paulò post ingens hiatus, quo omnes impij absorbeantur, vsque ad inferos sit aperiendus. Verùm de his plura infra, cum de Inferno agitur. Iam quod ad locustas attinet, facile erit durante isto fumo diuina virtute procreari peregrinum genus locustarum, quod è fumo exeat, & omnia longè lateque occupet, sicut enim immensa agmina, primò ranarum, deinde locustarum, postea sciniphum, postremò muscarum, totam Ægyptum occuparunt, idq; repente, diuina virtute ea animalia formante. Simili modo agri Philistinorū subito effuderunt infinitam vim murium. Quod ad formam earum attinet, non opus est vt facies earum planè sint similes faciei humane, aut eiusdem magnitudinis, sufficit esse rudem similitudinem qualis reperitur in simiis, & quibusdam aliis. Idem censendum est de capillis seu cirris earum, & dentibus. Nullum ferè est genus animalium, in quo tanta formarum peregrinarum varietas, quanta in locustis.

102 Vndecima erit, *Solutio quatuor dæmonum*, qui mox vbique terrarum bella concitabunt, quibus orbis ita arderetur, vt facile tertia pars hominum sit interitura. Repraesentatus est Ioanni in visione exercitus equestris, in quo ducenti milliones equitum. Vbi per equos intelligit milites, per sessores seu equites, dæmones qui regent & incitabunt ipsos milites in prælia. Equorum caudæ sunt similes serpentibus, & habent capita. Vbi puto indicari gladios militares, qui instar caudarum retrò extant, & capulos instar capitibus habent: vel pedissequos & ministros militum, qui plerumque sunt pessimi, & instar serpentum occultè nocent, incendiis, furtis, venenis, aliisque modis. De ore equorum procedit ignis, fumus, & sulphur. Non facile est explicare, quomodo hæc tria ex ore militum seu equorum procedent, & quo modo igne, fumo, & sulphure occideretur tertia pars hominum. Existimo planè hinc indicari bombardas militum, & ignem pulueris sulphurei. Dum enim milites iaculantur, ita admovent ori instrumentum, vt ore ignem & fumum sulphureum emittere videantur. Et hoc modo obiecta sunt animo S. Ioannis in visione. Hinc facilè intelligitur, quomodo

*Solutio quatuor dæmonum, & bel-
la grauissima.*
Apoc. 9.

do his tribus tanta clades sit illata. His bellis creditur excindenda Roma, de qua supra diximus: & Antichristus, deletis tribus Regibus ex decem, nempe Rege Æthiopiae, Libyæ, & Ægypti, peruenturus ad Regnum, reliquis septem sponte se illi deditibus. Durabunt enim hæc bella longo tempore, nempe vsque ad Monarchiam Antichristi. Vnde non est mirum, tantum numerum militum Ioanni representatum. Nam si toto orbe multis annis bella gerantur, non est incredibile ducentos milliones hominum armari.

*Vulnus seu
ac pessimum.*
Apoc. 16.

Duodecima plaga erit *Vulnus seuum & pessimum* in homines qui adhærebunt Antichristo. Hæc videtur prima, quæ constante Monarchia Antichristi inferetur. Similis plaga fuit illata Ægyptiis, de qua supra Cap. 8.

*Conuersio
maris in
sanguinem.*
Apoc. 16.

Decimatertia erit, *Conuersio maris in speciem sanguinis atri*, 103 qualis est hominis mortui, per quam etiam pisces omnes maris morientur.

*Conuersio
fluminum in
sanguinem.*
Apoc. 16.

Quartadecima est, *Conuersio fluminum & fontium in sanguinem*. Sicut enim in Ægypto omnis aqua versa est in sanguinem, & omnes pisces mortui sunt: ita per totum orbem, totum mare & omnia flumina vertentur in sanguinem, & omnes pisces morientur. Quod enim tunc in Ægypto accidit, est typus eius quod fiet in orbe illo tempore. Sicut tamen in Ægypto conuersio illa non durauit nisi ad octo dies, ne homines perirent siti; ita etiam credibile est, istam conuersionem non valde diu duraturam, ne omnes pereant; sed post aliquod tempus ista elementa restituentur suæ naturæ, sicut factum in Ægypto. Credibile etiam est, fidelibus hanc plagam aquarum non nocituram, sicut non nocuit Israëlitis in Ægypto, vt supra Cap. 8. ostensum est: fiet enim hæc plaga in ultionem sanguinis sanctorum, quem impij illis temporibus effundent. Quod ad pisces attinet, non est necesse reuiuiscere, cum mundus breuis sit interiturus: & fortè non deerunt pisces in stagnis, lacubus, & viuariis. nam de his aquis non dicitur, quod in sanguinem conuertentur.

Aestus s.
Apoc. 16.

Decimaquinta est *Plaga aestus*. Dabitur enim soli vis affligendi homines aestu & igne: quo fiet vt homines grauissimè aestuent, & præ impatientia blasphement Deum.

*Vlcera &
dolores.*
Apoc. 16.

Decimasexta est, *Ingentes dolores & vlcera*, quæ immetet Deus in primarios Antichristi affectas, eiusque curiam, ratione quorum erit magnus moeror in Regno eius.

Decima

104 Decima septima, Siccatio fluminis Euphratis, & Congregatio Regum Antichristo adherentium in praelium, ad delendos omnes qui Antichristo nolent adherere. Hoc certe sine illi convenient; sed Deus sua providentia id permittet, ut illa multitudo impiorum simul pereat, & tranquillitas detur Ecclesiae, ad multorum, qui vel illa persecutione ceciderunt, vel adhuc infideles sunt, conversionem.

Congregatio
exercitus
Antichristi.

Apoc. 16.

Dices: Quid opus erit tanto exercitu ad debellandos Christianos, cum hi paucissimi sint futuri illis temporibus? Respondeo, Paucos futuros respectu impiorum, absolute tamen fore valde multos. Si enim in sola Aegypto ex Hebraeis erant sexcenta millia virorum à vigesimo anno & supra, praeter pueros & mulieres; quantum numerum putamus fore Christianorum (quorum typus erant illi Hebraei) toto orbe? Unde, sicut ad Hebraeos istos in servitutem retrahendos congregavit Pharaon omnes vires totius Aegypti, ita Antichristus ad subiiciendos sibi Christianos congregabit vires totius Orbis, quae ipsi parebunt: & sicut Pharaon cum omnibus suis periit obrutus mari, ita Antichristi exercitus peribit obrutus igne caelesti, ut ostensum Ioanni.

Decima octava erit, *Ingens terra motus cum grandine, tonitru, fulmine, & vocibus articulatis in aere*, quibus terror magnus incutiat impiiis. Hac terrae violentissima concussione non solum plurimae civitates impiorum corruent, sed etiam multi montes concident, & insulae aquis operientur, ut non appareant. De hoc dictum supra.

Maximus
terramotus
Apoc. 16.

Decima nona erit, *Clades illa*, in qua Antichristus & eius pseudo-propheta viui descendent in infernum, & eius exercitus cum Regibus ipsi adherentibus igne caelesti & grandine confumentur; ut colligitur ex Ioan. cap. 19. & 20. & Ezechielis cap. 39. Non obstat quod Ioannes cap. 19. dicat, hunc exercitum interficiendum gladio qui procedit ex ore sedentis super equum, id est, Christi: quia iste gladius non erit alius, quam ignis & grando quae ex ore Christi procedent: quia imperio Christi de caelo descendet, & exercitum illum impiorum delebunt.

Delectio ex-
exercitus An-
tichristi.
Apoc. 19.

105 Haec fere sunt plagae quas Ioannes describit, & affirmat novissimis temporibus irrogandas. In quibus non solum elucet iustitia, sed etiam misericordia: quia paulatim, & cum ea moderatione adhibentur, ut peccatores possint resipiscere, & agere poenitentiam. Nec semper durant, sed aliae aliis succedunt, ut advertant esse manum

manum

manum diuinam, non causas naturales, aut fatum aliquod stellarum.

*Plagas istas
ad litteram
accipiend.*

Quod autem istæ plagæ non solum Allegoricè seu mysticè, sed etiam historicè & secundum litteram sint intelligendæ, optimè ostendit Ribera. Nihil enim ferè est in omnium illarum descriptione, quod non commodè secundum litteram possit accipi. Nequæ quidquam illarum fidem superare, esseque incredibile, iudicabit quilibet qui diligenter expenderit plagas Ægyptiacas, & subuersionem Pentapolis, & mare mortuum ex incendio illo sulphureo relictum; denique Arcam Noë, & diluuium vniuersale. Sanè plagæ Ægyptiacæ & subuersio Pentapolis solum fuit figura & adumbratio quædam plagarum temporis nouissimi, quando subuerteretur mundus. Si talia configere in typo, quid poterit videri incredibile & nimis magnum in exemplari & veritate? Quare, cum regula communis Theologorum sit, à proprietate verborum non esse recedendum, nisi aliquid absurdi vel repugnans rationi contineant; dubitandum non videtur, quin ista ferè omnia secundum litteram & historicè sint intelligenda. Accedit, quod nisi ita dicamus, fatendum erit, Ioannem nihil ferè de externis plagis illorum temporum prædixisse, sed lusisse ænigmatibus, idque vel in rebus iam peractis & orbi notissimis, nimirum in describenda Iudæorum euerfione, vel in futuris, vt in Romanorum & Gentium conuersione. Vnde probare non possum nuperam quamdam expositionem, iuxta quam maximæ plagæ non sunt plagæ in homines, sed destructio peccatorum, & conuersio hominum. verbi gratia, Cum dicitur cecidisse Babylon, indicatur, ciues Babylonis desuisse esse idololatrias, & conuersos ad fidem. Cum dicitur *Babylon incensa igne*, significatur accepisse Spiritum sanctum. Quando de exercitu Gog & Magog dicitur: *Descendit ignis de celo, & deuorauit eos*, indicatur eos operatione Spiritus sancti conuersos ad fidem: & alia innumera huius generis satis frigida, dura, & violenta. Non video quid utilitatis habere queat ad ædificationem Ecclesiæ rerum notissimarum descriptio adeò ænigmatica, vt nemo illam possit intelligere.

Mirabitur fortè aliquis, qui fieri possit, vt homines impij qui adhærebunt Antichristo, visis tot portentis & plagis, persistent in sua malitia & in persequendis fidelibus, & non timeant Deum, nec resipiscant. Verum consideret ille similia contigisse in Ægypto, & quidem magis continuè magisque apertè à manu Dei per Moysen,

sen, & tamen Pharaonem cum populo suo permansisse in obstinatione contra populum Dei. Non minor, sed maior potius erit obduratio impiorum illius temporis: non enim credent hæc à Deo irrogari, sed fatali necessitate, & mundi quodam morbo euenire, qualia etiam sensere Stoici: vel si credant à Deo inferri, non tamen idcirco conuertentur, sed irascantur in illum, eumque blasphemabunt, quòd tantas calamitates inferat, vt aperte pluribus locis testatur Ioannes. Maximam vim in eorum animis habebit diabolus, qui tunc solutus erit.

CAPVT XIX.

De tempore quod supererit vsque ad excidium mundi.

107 **D**ECIMO & vltimò cernetur iustitiæ diuinæ seueritas in extremo Iudicio, cuius nobis forma breuiter describenda cum ijs quæ ipsum antecedent & sequentur. Qua in re nobis sex consideranda sunt. Primum, Tempus quod vsque ad excidium mundi à cæde Antichristi supererit. Secundum, Ignis quo mundus vastabitur. Tertium, Mortuorum resurrectio & congregatio. Quartum, Aduentus Iudicis, eiusque sententia. Quintum, Executio sententiæ. Sextum, Pœnarum grauitas & æternitas.

Quod ad Primum attinet, Interfecto Antichristo, & eius exercitu cum præcipuis persecutoribus deleto, dabitur Ecclesiæ magna tranquillitas; & qui per loca deserta erant dispersi vel abditi, redibunt ad sedes suas; & qui ceciderant vi persecutionis, resurgent: & Religio Catholica rursus incipiet efferre caput, & publice florere. Vtrum autem non ita diu post illam cladem impiorum sit futurum Iudicium, an adhuc ad aliquot annos extrahendum, dubium est inter Doctores. Quidam putant solum ad quadraginta quinque dies differendum; propter verba Danielis cap. 12. vbi cum Angelus indicasset Regnum Antichristi duraturum mille ducentos nonaginta dies, id est tres annos cum medio, & insuper diebus tredecim, addit: *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.* qui numerus dierum superat priorem (qui est Regni Antichristi) diebus quadraginta quinque. Hinc colligunt multi Interpretes, inter quos S. Hieronymus in illum locum Danielis, hoc numero dierum indicari tempus, quod occiso Antichristo supererit mundo; quo expleto, quia Sanctis reddenda præ-

Tranquillitas Ecclesia post eadem Antichristi.

Sententia multorum, mundum solum duraturum 45. dies post eadem Antichristi.

mia, idcirco *beatum* dici eum, qui ad terminum illius temporis peruenit.

Refutatur
hac senten-
tia.

Verum multis non placet hæc interpretatio. Primò, Quia nihil est quod cogit illum locum sic accipi: Ne enim minus accipient præmium qui ante mortui fuerunt, quam qui usque ad terminum illorum dierum vixerint. Vnde non videtur Angelus loqui de Iudicio & præmij collatione, sed potius de tranquillitate & felici statu Ecclesie, quo potietur, hostibus eius vbique interemptis, & infidelibus vndique ad eam accedentibus. Itaque *beatus erit qui tunc vixerit*: quia absque timore poterit Deum publicè colere: & si lapsus fuerit, poterit resurgere: si infidelis, facile poterit conuerti, doctrina fidei vtriusque disseminata per illius temporis Concionatores. Secundò, Quia valde credibile est, Deum concessurum plus temporis, vt Iudæi & alij infideles, quos ipse iam tot plagis, prodigijs ac terroribus ad fidem disposuit, possint instrui & conuerti; & vbi conuersi fuerint, Deum colere, eique gratias agere. Hoc enim pietati & misericordie diuinæ valde consentaneum. Idcirco enim tot prodigia præmisit, & Antichristum eum suis deleuit, vt qui prostrati fuerant, possint resurgere, & omnes infideles conuerti. Hinc Liranus & Dionysius Carthusianus in cap. 5. Epist. prioris ad Theffalon. docent, occiso Antichristo, eiusque fallitate detecta, totum mundum ad Christum conuertendum; ita vt longè plures sint fideles quam infideles. Tertio, Quia si deletio Antichristi solum quadraginta quinque dies superessent, certò posset præsciri dies Iudicij futuri, idque statim ab initio Regni Antichristi, quod sapientibus Ecclesie viris non erit ignotum. Hoc autem videtur repugnare sententiæ Domini Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater.* Hinc Dominus eodem capite indicat, aduentum suum ad Iudicium fore prorsus inopinatum, sicut diluuium; & se venturum quando homines minime putabunt, sicut fur venit noctu. Idem dicit Apostolus 1. ad Theffal. 5. *Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, & non effugient.* Denique Ezechielis 39. dicitur, cæso exercitu Gog & Magog (quem passim Doctores volunt esse exercitum Antichristi) tantam fore multitudinem cadauerum, vt Israëlitz, id est, fideles, per septem menses sint occupandi in illis sepeliendis: & tantam copiam armorum & lignorum, vt septem annis sint ea combusturi ad focum domesticum, nec opus sit alia lignatione. Ex quibus verbis valde probabiliter colligi potest, saltem ad septem annos

annos postea mundum dururum. Vix enim aliter verba Ezechielis accipi possunt, vt Barradius Tomo 3. lib. 9. cap. 7. & Ribera in cap. 20. Apocal. num. 7. ostendunt.

109 Nec obstat illud quod ait Dominus: *Cum venerit filius hominis, putasne inueniet fidem in terra?* loquitur enim non de extremo Iudicio, sed de eo tempore quo veniet ad faciendam vindictam in maxima illa fidelium oppressione tempore Antichristi, quando clamabunt ad illum die ac nocte, vt colligitur ex adiunctis: tunc enim non diu *patientiam habebit, sed cito veniet*, quia non finet illam persecutionem durare nisi tres annos & dimidium: quibus expletis, faciet vindictam delendo persecutores. Et hoc est quod dicitur Matth. 24. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Eo tempore ita dominabitur impietas, vt rari sint futuri veri fideles comparatione multitudinis impiorum. Et sane nisi hunc locum sic exponamus, vix apparet quomodo cum ijs quæ ibi de clamore electorum & vindicta dicuntur cohæreat. Accedit, quod hic aduentus erit inchoatio quædam & veluti preparatio ultimi aduentus. Eandem insinuat Barradius, addens, post illam vindictam fideles fore plurimos, & ferè totum mundum ad fidem conuertendum.

Post Anti-
christi mortem
verisimile est
mundum ad-
huc 7. annis
duraturum.
Luca 18.

CAPVT XX.

De igne quo conflagrabit orbis.

110 EXPLETO tempore quod Deus post illam cladem ad conuersionem peccatorum designauit, sequetur ignis conflagrationis. Dubium tamen est, Vtrum ignis ille quo mundus conflagrabit, antecedet Iudicis aduentum, an secuturus sit. S. Augustinus lib. 20. De ciuit. cap. 16. & 30. aperte indicat, hunc ignem secuturum Iudicis aduentum & sententiam. Sed communis ferè sententia Doctorum est, hunc ignem antecessurum ipsum personalem aduentum & comparitionem Iudicis. Probatur primò Psal. 96. *Ignis ante ipsum precedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annuntiauerunt cæli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.* Hic primò ponit ignem omnia exurentem, deinde Iudicis apparitionem. Quod autem iste Psalmus sit de secundo Domini aduentu, quo iudicabit orbem, patet ex Apostolo ad Hebræos 1. Rur-

Ignis precedet
ad iudicium.

fus Psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Hic rursus ignis præcedit, & Iudicium sequitur. Ita. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in reparationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit.* Dicitur Dominus venturus in igne, id est, cum igne, quia ignem præmittet, & per ignem tamquam per suum satellitem delere incipiet hanc mundanam ciuitatem, sicut olim deleuit per aquam: & hoc sensu dicitur iudicaturus sæculum per ignem. Idem ex eo confirmari potest, quod plurimi iustorum non omnino puri ab omni labe vel reatu peccati, egrebunt expiatione, ac proinde per ignem erunt expiandi, vt indicat Apostolus 1. Cor. 3. Hæc autem expiatio fieri debet ante sententiam Iudicis, vt planè purgari possint cum aliis rapi obuiam Christo in aëra, & statim post sententiam cælum conscendere: non enim conuenit vt post sententiam purgentur. Idem communiter sentire videntur Patres, & ipsemet Augustinus libro 50. Homiliarum Homil. 16, quando ex Apostolo docent, *opus cuiusque igne probandum.* Debet ergo hic ignis præcedere Iudicium.

Triplex effectus huius ignis. Primus est, Omnia corpora mixta dissolueri.

Porro effectus huius ignis erit triplex. Primò, Dissolueri omnia corpora mixta in elementa. Cùm enim omnia illa ad vsu temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vitæ nulli erunt vsui, ac proinde resoluenda sint in sua principia ex quibus compacta, & suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissime, & omnia opera quæ in ea sunt: exurentur montes, & montium fundamenta: dissoluentur omnia saxa & metalla, & rupes instar ceræ liquefcent: exuretur mare, ita vt consumatur quidquid in eo est terrenum vel concretum: denique exuretur quidquid in aëre est materiæ inflammabilis. Hæc omnia manifestè colliguntur ex Scripturis. 2. Petri 3. *Adueniet autem dñs Domini tamquam fur, in quo cali magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Per calos intelligit superiorem aëris partem, vapore & halitu inflammabili plenam. Hi cæli magno impetu, vel vt Græcus habet, cum stridore (πολλῆν) instar procellæ ardentis transibunt. De iisdem cælis paulò post ait, *Per quem cali ardentis soluentur.* Per elementa significat mare, & inferiorem aëris partem, de quibus ibidem: *Elementa ignis ardore tabescent.* quibus verbis indicat, quidquid in illis est concretionis, soluendum. Quod autem per calos non intelligantur illi cæli, in quibus sol, luna, & stellæ; sed superior aëris portio pingui halitu

Qui cali ardentis.

ple-

fratres mei charissimi sustinebimus, quantum igneum viderimus fluuium ab ortu solis vsque ad occasum cum furore manantem, & instar ferocis asperiq; maris, montes & valles deuorantem, & etiam omnem, & quacumque in ea sunt, exurentem? De mari exurendo non habemus

Mare exuretur.

locum expressum; colligitur tamen ex verbis S. Patri, cum dicit, *elementa ignis calore soluenda*. est enim quid valde mixtum & impurum, vnde debet dissolui & purgari. facile erit Deo per ignem accendere & dissoluere quidquid in mari est inflammabile. Hinc Apocal. 21. facta renouatione mundi, dicit Ioannes: *Et mare iam non est*. non quod elementum aquæ sit abolendum (cum ad constitutionem mundi pertineat tamquam vna ex principalibus eius partibus:) sed quia hoc mixtum quod proprie mare dicitur, non amplius erit, nec aqua, quæ est portio istius mixti, aluo eodem continebitur, ita vt speciem maris præbeat: sed erit limpida instar crystalli, terramque vndique operiet, sicut tempore diluuij, vt multi volunt: vel si non totam operiat, alia eius erit dispositio & forma quàm modò sit, cum navigationi & alijs vñibus nostræ mortalitatis inseruit. Hippolytus Oratione De consummatione sæculi: *Fluuius igneus egrediens cum furore instar maris seni, exuret montes & colles, & mare delebit, & aethera inflammatione dissoluet. Delebit mare*, non consumendo aquarum naturam, sed purgando, sicut dictum est. Aget enim hic ignis non solum vi naturæ, sed vt instrumentum diuinæ potentiae; sicut ventus quo siccata aquæ diluuij, Genes. 8. Itaque non mirum, si possit breui tempore terram profundissimè exurere, montes, saxa & metalla dissoluere, & in ipsis aquis quidquid admistum est, absumere. Fient hæc omnia incredibili fragore & strepitu, saxis ignitis & cinere in aërem altissimè eiectis, flamma fumo permixta in cælum exeunte, torrentibus sulphuris, & liquatorum vi ardoris saxorum passim decurrentibus. Si enim hæc omnia interdum in vno monte ardescente sunt, idque cum tanta elementorum perturbatione, vt mundus periturus videatur: quid fiet, cum tot montes & tota terra ab imo ardebit?

Secundus effectus ignis erit iustorum purgatio.

Secundus effectus erit, purgare iustos, qui aliquid labis culpæ vel reatus pœnæ habuerint. Indicatur hoc apertè 1-Corinth. 3. *Si quis autem superadificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; vnicuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vnicuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod*

113

quod superadificauit, mercedem accipiet. si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Loquitur hic Apostolus de igne extremi Iudicij, non metaphorico, ^{Exponitur locus Apostoli.} sed vero. Nam dies Domini in vero igne, id est cum vero igne, & per verum ignem reuelabitur, & adesse cognosceatur. Hic ignis probabit cuiusque opus. Si enim opus tuum fuerit sicut aurum, argentum, lapides pretiosi, nihil habens materiae inflammabilis, id est, nihil quod dignum castigatione; nihil incommodi ex illo igne senties, sed mercedem statim accipies. Si verò tuum opus fuerit ut lignum, fenum, stipula, quæ apta sunt ut igne conflagent, detrimentum patieris: quia ardebit opus tuum, hoc est, ipse operans propter illud igne mulcabitur. Ipse tamen tandem saluus eris, sed quasi qui per ignem transiuit. Est similitudo accepta ab iis, qui super idem seu simile fundamentum construunt sibi domum ex diuersa materia, quam postea ignis inuadit.

Nec obstat, quòd quidam exponant hunc locum de igne Purgatorij: quia etiam Apostolus primario & expressè tantum loquatur de igne extremi Iudicij; tamen tacite & secundario etiam agit de igne Purgatorij, & hunc in illo vult intelligi. Sicut enim in extremo Iudicio ignis ille publicus probabit opera singulorum qui tunc uiuent; aliorum dum eos non attinget nec lædet, aliorum dum eos affliget: ita in Iudicio particulari ignis Purgatorij, qui iam occultus, singulorum opera probabit. Nam eos qui omnino puri, non attinget; qui verò aliquid labis habuerint, affliget. Vide P. Cornelium, qui fise & eruditè hunc locum Apostoli explicat.

Multi Patres existimant, omnes, quantumuis sanctos & puros, per hunc ignem transituros, & probandos. Origenes in Psalm. 36. Ambrosius in eiusdem Psalm. Lactantius lib. 7. cap. 21. Basilus in cap. 4. Isaia. Sed hoc propriè non est verum, nisi de sanctis qui tunc uiuent, quos ignis ille vel non attinget; vel si attinget, non affliget. Nisi fortè quis dicat, tempore resurrectionis hunc ignem occupaturum, ut sancti nec resurgere, nec Christo occurrere nisi per ignem possint, qui tamen ab igne non lædentur.

114 Eandem sententiam de purgandis iustis docet S. August. Homil. 16. De resurrectione lib. 50. Homiliarum. *Hi qui temporalibus panis Arina gesserunt (de quibus Apostolus dicit, Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.) per fluium igneum, de quo Prophetus sermo memorat (& fluius igneus curreat ante eum) per fluium inquam igneum, & vada feruentibus* Daniel. 7.

uentibus globis horrenda transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta erit & transeundi moera: quantum egerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quadam flammae ratio. *His disciplina: & quantum stulta iniquitas suggererit, tantum sapiens poena deserviet.* Vbi notandum, hunc ignem quasi ratione praeditum, singulos cruciaturum plus vel minus, pro culpae vel reatus quantitate: quia aget ut instrumentum diuinæ iustitiæ, manu potentiae illius applicitum, ut etiam docet S. Thomas in 4. d. 47. versus finem. vbi dicit, omnes quidem tam bonos quam malos hoc igne perimendos, & in cinerem vertendos, sed bonos, in quibus nihil purgandum, nullum dolorem sensuros: malos grauius cruciandos, bonos verò in quibus aliquid purgandum, sensuros cruciatum ex illo igne plus vel minus, pro meritorum diuersitate. Idem modò seruatur in igne Purgatorij. scilicet enim ignis ille in eos qui purgantur pro delictorum grauitate, & reatus magnitudine.

Tertius effectus, Mundi lustratio & expiatio.

Tertius effectus erit, Mundi expiatio. Est enim hic mundus veluti templum Diuinitatis, quod Deus ad suum cultum & honorem condidit & sanctificauit. Hoc templum per infinita hominum & demonum peccata, per spurcitas carnales & spirituales multis saeculis fuit inquinatum: vnde priusquam renouetur ad statum gloriae, expiandum erit. quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita nunc fiet per ignem, qui aptissimus est ad hunc effectum.

Verum ignis conflagrationis omnes perimet.

Sed dubium est, Verum hoc igne omnes homines, qui tunc viui reperientur, sint perimendi, & in cineres vertendi. Plerique recentiores affirmant. Primò, Quia sine grandi miraculo non possent viui conseruari. Secundò, Quia Scriptura multis locis docet, omnes debere mori, ac proinde nulla videtur ratio cur tunc non moriantur. Tertio, Quia sic omnes poterunt simul resurgere. Hæc sententia est facilis intellectu, & rationi humanæ valde consentanea. Negantem tamen partem sequuntur multi Patres & graues Auctores, qui docent, multos fore viuos quando mortui resurgent, & Dominus comparebit in Iudicio: vnde sequitur, eos non esse igne illo perimendos. Ita Hieronymus Epist. 148. ad Marcellam, vbi dicit id esse perspicuum ex verbis Apostoli 1. ad Thessal. 4. Epiphanius hæresi 64. pag. 288. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, in illum locum Apostoli: S. Augustinus libro 2. De peccatorum meritis c. 31. & ad Dulcitium q. 3. Ambrosius in 1. ad Corinth. cap. 15. & in cap. 4. prioris ad Thessalon. Anselmus ibidem, & multi recentiores, inter quos Iosephus à Costa, qui

qui hanc quæstionem exactè tractauit lib. 4. de Antichristo per multa capita.

Duo sunt loca Scripturæ quibus hæc sententia videtur euinci. Prior est 1. ad Corinth. 15. v. 51. vbi in textu Græco & Syro sic habetur: *Ecce mysterium dico vobis: non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Dicitur autè Apostolus, carnem & sanguinem regnum Dei possidere non posse, nempe secundùm qualitatem terrenam & corruptibilem, in qua illam accepimus à primo homine terreno, sed debere illam mutari, & reddi incorruptibilem. Deinde explicat quomodo hoc futurum sit: *Etsi enim, inquit, non omnes simus dormituri, id est, morituri, tamen omnes debemus immutari corpore, & fieri immortales, non egentes amplius cibo, potu, somno, &c. nam in ictu oculi, in nouissima tuba fiet hæc duo, & mortui resurgent incorrupti, & qui tunc reperientur vivi, immutabuntur corpore, & induent incorruptionem.* Loquitur enim Apostolus iuxta hanc lectionem, non de omnibus hominibus, sed de iustis, qui regnum cælorum possidere debent. Hoc modo hunc locum legunt & intelligunt ferè omnes Patres iam citati, estque hoc sanè magna arcanum antea ignotum. Neque huic sententiæ obstat nostra lectio, quæ sic habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quæ etsi in Græcis exemplaribus non reperitur, teste Hieronymo Epist. 152. in fine: tamen est antiquissima, & à plurimis Patribus probata, & nobis amplectenda. Hæc enim intelligenda est de omnibus tam iniquis, quam iustis, qui tunc mortui erunt. Agitur enim de mortuis seu dormientibus, vt de illis non contristemur, nec desperemus; vt patet ex Apostoli scopo. Vtrum autem qui tunc viuent, debeant mori, ita vt egeant etiam resurrectione, ibi non quæritur. Vnde nostra lectio non repugnat superiori sententiæ.

177 Alter locus est 1. ad Thessal. 4. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non preueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de celo; & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquitur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Hunc locum S. Hieronymus pro hac sententia putauit esse perspicuum: nam Epist. 148. ad Marcellam

Kkk ita

ita scribit: Ex ipsius loci continentia sciri potest, quod qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehensi in corpore, in iisdem corporibus occurrent ei: ut qualia corpora mortuorum surrectura sint, in talem substantiam etiam viuorum corpora transformentur. Vide dicit in alio loco Apostolus: Propter quod nolumus exspoliari, sed superuestiri, ut absorbeatnr mortale hoc a vita, ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed anima habitante in corpore fiat inclutum, quod ante fuit inglorium. hæc ille. Et in Epist. 152. citat pro hac sententia Diodorum Tarfensem Episcopum, Theodorum Heracleotem, & Apollinarium: qui etiam aperte docent ex hoc loco, in aduentu Domini multos fore qui non moriantur, sed solum immutentur. S. Augustinus q. 3. ad Dulcitium dicit, se aliter hunc locum intelligere non posse. Quantum, inquit, ad verba Apostoli pertinet, videtur asserere, quosdam in fine saculi, adueniente Domino, cuius futura est resurrectio mortuorum, non mortuos sed viuos repertos in illam immortalitatem, qua ceteris sanctis datur, repente mutandos, & simul cum illis rapiendos in nubibus. Nec aliquid aliud mihi usum est, quoties de his verbis volui cogitare. hæc ille. Addit tamen, se optare audire sententiam doctiorum, qui id bene possint conciliare cum aliis Scripturae locis, quibus significatur, omnes debere mori, &c. Eandem sententiam de viuus non morituris aperte tradit lib. 2. De peccat. merit. c. 31. Eiusdem sententia est Epiphanius Hæresi 64. Chrysostronus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in Epistolam priorem ad Corinthios cap. 15. & in hunc locum Apostoli. Idem tenent multi recentiores, Caietanus, Faber Stapulentis, Erasmus, qui quidem omnes non solum docent fore ut aliqui tunc viuant, sed etiam ut absque vlla morte commutentur, & superuestiantur immortalitate. De quo paulò post dicemus.

Confirmatur
ex verbis
Apostoli.

Confirmatur expendendo verba Apostoli: Si enim omnes qui 118
nouissimis temporibus viuunt, ante Domini aduentum igne sunt perirendi, nec Dominus illos viuos, sed omnes mortuos immediate ante resurrectionis tempus inuenerit, & simul omnes dormient, & simul a mortis somno excitabuntur; nulla erat ratio cur Apostolus tam grauiter in verbo Domini restaretur, eos qui tunc viuunt, non præuenturos ad gloriam & immortalitatem eos qui tunc erunt mortui. Si enim debent mori & dissolui sicut alij, cur deberent præuenire eos qui diu antea fuerant mortui? Verum si Dominus multos reperiat viuos, suberat causa suspicandi eos solos corpore beandos, relictis ijs quorum corpora plane erant resoluta &

& dissipata. Ad quam suspicionem amouendam Apostolus grauissimis verbis ex diuina reuelatione protestatur, tantum abesse vt mortui in Christo sint reliquendi in morte quoad corpus, vt viui qui tunc reperientur, non sint ante eos in corpore glorificandi, sed illos primum resurrecturos corpore immortali, deinde viuos simul cum illis rapiendos obuiam Christo in aëra. Vbi non ponit ordinem inter resurrectionem iustorum & iniquorum, vt quidam volunt; quia nulla facta erat mentio iniquorum, neque id ad rem propositam faciebat: neque inter resurrectionem iustorum, & eorundem raptum: quia per se clarum est, debere eos prius resurgere in corpore, quam in corpore rapiantur: sed inter resurrectionem iustorum qui erant mortui, & raptum iustorum qui erant viui, quasi dicat: *mortui resurgent primi*, vel vt est in Græco *primùm*: deinde vbi illi resurrexerint, tunc hi qui erant viui simul cum illis rapientur obuiam Christo in aëra, & ita non praeuenient illos ad gloriam. Vbi autem & quando illi sint immutandi, hic expressè non dicit, sed apertè indicauit 1. ad Corinth. 15. nempe id futurum eo momento, quo fiet mortuorum resurrectio, *in ictu oculi, in nouissima tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*. Quod enim illud, *in ictu oculi*, referendum sit ad vtrumque membrum, apertè indicat tam in Latino, quam in Græco, particula copulatiua bis posita. Vnde non videtur probandum, quòd S. Augustinus lib. 20. De ciuit. c. 20. & alij ipsum secuti existimant futuram hanc immutationem in raptu: conuenit enim fieri in terra ante raptum, dum alij resurgunt, vt simul omnes immortalitatem accipiant, & simul obuiam Christo rapiantur, per intrinsecam gloriosi corporis dotem.

Eodem momento fiet mortuorum resurrectio & viuorum immutatio.

Denique hæc sententia confirmari potest ex eo quòd Christus passim dicitur *indaturus viuos & mortuos*. Nihil enim aliud illa verba præ se ferunt, quam tunc multos fore viuos, qui numquam fuerint mortui. *Mortui* enim ibi dicuntur, qui ante mortui fuerant, etiam si nunc resuscitati vluant. *Viui* ergo dicuntur qui mortui nondum fuerant. Indicat hanc rationem S. Augustinus ad Dulcitium quæst. 3.

119 Ad ea quæ in contrarium obiciuntur, respondetur. Ad primum, fateor id fore magnum miraculum, quòd iusti illo igne non perimantur: sicut quòd tres pueri illæsi seruati in fornace Babylonica. Sed omnia tunc miracula plena erunt. Ipse ignis & operatio eius miraculum erit; & omnia signa Iudicium præcedentia

Miniculo conseruabuntur iusti ne igne laedantur.

miraculosa erunt, utpote vim causarum naturalium excedentia. Idem fere miraculum ponunt multi Auctores contrariae sententiae: nam docent, iustos quidem igne consumi, sed alique villo dolore, idque propter locum Apostoli i. ad Corinth. 15. de quo supra: cui tamen magis consentaneum est ut non consumantur, alioquin damnatum per ignem paterentur.

Resp. ad
Scripturas.

Rom. 5.

2. Paral. 6.
Psal. 13.
Rom. 2.
Rom. 5.
1. Cor. 15.

Ad secundum dici potest, iuxta Patrum illorum sententiam, non esse necessarium ut omnes moriantur re ipsa, sed sufficere ut omnes qui sunt ex Adamo, necessitati moriendi sint subiecti. Sic omnes dici mori in Adamo, mortem in omnes pertransisse. Nec ob stare illud Psal. 88. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Primò, Quia loquitur de hominibus illius temporis, ut colligitur ex verbis quae sequuntur: *Fruet animam suam de manu in feri*: quibus idem significatur. Nunc etiam post Christi mortem iusti non amplius ad inferos descendunt. Secundò, Quia huiusmodi locutiones uniuersales plerumque patiuntur exceptionem, praesertim quando ipsa Scriptura aliis locis exceptionem illam indicat. Quid enim magis uniuersè dictum, quam *omnes esse peccatores, omnes peccasse: neminem esse super terram qui non peccet*: & tamen scimus B. Virginem excipiendam. Similiter non ob stare illud Apostoli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Quia sicut omnes ex Adamo contrahunt necessitatem moriendi, & re ipsa ad mortem tendunt; ita per Christum accipient immortalitatem & incorruptionem, etiamsi re ipsa mortui non fuerint. *Viuificari* enim non solum dicitur quod à mortuis excitatur, sed etiam quod à periculo mortis eripitur, & in vita conferuatur, ut ex plurimis versiculis Psal. 118. constat: multò magis quod ad immortalitatem traducitur. Denique non ob stare illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Insipiens, tu quod seminas non viuificatur nisi prius moriatur*. Non enim vult probare Apostolus, omnes debere mori & putrescere sicut semen, sed facile esse Deo, eos qui mortui sunt & putrefacti excitare, & dare corpus gloriosum & incorruptibile.

Ex his patet, hanc Patrum sententiam non repugnare Scripturis, cum haec conuenienter possint exponi. Vnde etiam S. Thomas 1. 2. q. 81. a. 3. indicat eam esse probabilem, & Magister in 4. distinct. 43. utramque habet pro aequè probabili, nec esse humani iudicij hanc quaestionem definiere.

Nihilominus cum S. Augustino & multis aliis sentio probabilius,

lius, & Scripturis congruentius, etiam hos saltem momentanea morte defunctum iri: non quidem in aëre dum rapiuntur, (debent enim ante raptum esse beati & immortales,) sed in terra eodem tempore quo mortui ad resurrectionem disponentur, ut simul omnes immortalitatem consequantur, ut supra ostensum ex 1. ad Corinth. 15. Illo enim brevissimo tempore quo corpora mortuorum formabuntur, etiam illorum corpora immutabuntur. Debent enim tolli omnes sordes & humores superflui, qui per totum corpus diffusi, & singulis membris ac partibus conferri congruentissimum temperamentum, optimæ qualitates & figuræ, noui spiritus, & omnia ita aptari, ut consonent animæ gloriose. Anima quoque ipsa debet particulare Iudicium subire, & præmium accipere lumen gloriæ. Quæ omnia ut fiant, conueniens est ut anima non sit corpori connexa, sed ad brevissimum tempus ab eo separata. Corpore autem ritè sic præparato, in momento anima, quæ loco non distabit, illi vnietur, & illud reddet gloriosum. Itaque hic non interueniet vlla mors sensibilis, aut quæ exterius aliquod signum mortis præ se ferat, sed videbitur sola immutatio, & gloriæ superuestitio, non exspoliatio aut dormitio: re tamen ipsa erit ibi mors & resurrectio. Hoc modo videntur omnes Patres & Doctores, qui tunc aliquos viuos fore existimant, optimè posse conciliari. Valdè enim credibile est, hos talem modum moriendi non intendere negare: estque valdè rationi consentaneus, & optimè congruit verbis Apostoli.

Omnes aliquo modo morituros.

Anima illorum qui immutabuntur debet subire Iudicium particulare, & accipere præmium.

CAPVT XXI

De Resurrectione mortuorum, eorumque congregatione in locum Iudicij.

DVRANTE mundi incendio fiet resurrectio mortuorum, eorumque ad locum Iudicij congregatio. Resurrectio autem fiet hoc modo: Cum Dominus incipiet descendere de celo, præmittet Angelos cum tuba, ut mortuos excitent, & conuocent ad Iudicium. Hac tuba personante, statim in ictu oculi omnes mortui tamquam in aëre sono excitati resurgent, & comparebunt super terram, & celerrimè in locum Iudicij transferentur. Vbi aduertendum est, ad resurrectionem istam tria requiri. Primò, Ut particulæ materiæ ex quibus corpus est formandum, in vnum locum congerantur.

Tria ad resurrectionem requiruntur.

Kkk 3

rantur.

An cineres
colligendi per
Angelos.

rantur. Secundò, Vt corpora formentur. Tertiò, Vt anima vniantur. Primum passim Doctores tradunt peragendum per Angelos. Quod non parum difficultatis habet. Primo, Quia omnium panè corpora in millies mille particulas reserata erunt, quarum alia erunt in Oriente, alia in Occidente, alia apud Antipodes, alia in mari, alia permixtæ nubibus: ita vt innumeris locis vni corpus particula sint colligenda. Hoc ita esse patet, quia corpus humanum constat materia humida & sicca. Totum humidum, & simul bona pars sicci abit in vapores, qui sparguntur per totum orbem: siccum quod superest rursus millies rigatum per pluuia & siccatum, sensim totum absumitur, & in auras dissipatur: vel terram impinguans scissit in herbas & gramina, quæ postea carpuntur à bestiis: hæc rursus comeduntur, vnde putrescunt in terram, & similiter in vapores abeunt, qui toto orbe per ventos deferuntur. Itaque cum particula etiam vni corpus tam innumeris locis sint dispersa, non videntur ab aliquo Angelo tam breui tempore posse congregari. Totum enim tempus resurrectionis, simulatque insonuerit tuba, aded breue erit, vt vix percipi possit; vt satis indicat Apostolus cum ait: *In momento, in ictu oculi mortui resurgent.* Græcè *ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ, in indivisibili, in ictu oculi.* Quibus verbis significatur, illud tempus fore aded breue, vt non possit percipi ab homine eius duratio seu extensio, sed videatur instar momenti. Loquitur autem Apostolus de toto resurrectionis opere, quod fiet simul atque insonuerit tuba; & non de sola corporis formatione, vel vnione animæ. Deinde non solum innumeris locis erunt illa particula dispersa, sed etiam innumeris modis variata, & per innumeras rerum formas & species transfusa. Vnde nullum inerit vestigium vnde cognosci possit, an ad aliquod corpus pertineant, an non: aut ad quod corpus, quamve animam sint referenda. Tertiò, Multa etiam ad plurima corpora pertinebunt, vt constat ex anthropophagis, quorum innumerabilis multitudo in mundo omnibus pæne sæculis fuit: quomodo Angeli scient cui corpori illa restituenda, & quomodo disperdenda inter tam multos.

Vbi notandum est, anthropophagiam iure nature esse illicitam tum ob alias causas, tum quia inducit confusionem corporum, miscendo in vno corpore partes materiae corporalis, aliis corporibus in resurrectione debitas: tum quia impedit perfectam identitatem quæ alioquin esse deberet inter corpus quod cecidit, & quod resurgit. verbi gratia, Cyclops aliquis in Brasilia à puero carne humana educatus

catus comederit centum homines siue solus siue cum aliis: ex quibus tempore mortis extens in corpore ipsius centum libræ materiae corporalis diffusa per omnia membra. hæ centum libræ sunt aliis corporibus debita, & in illa deberent distribui, si in substantiam corporis Cyclopici conuersa non fuissent: nunc autem non possunt integræ restitui illis corporibus, quia corpus Cyclopi non potest destitui tanta materia corpori suo necessaria: nam debet ita resurgere, vt quantum fieri potest sit idem quod cecidit, & quod resurgit: vnde necesse erit maiorem partem istius materiae ipsi restitui; minore portione in alia corpora, quæ comesta ab eo fuere, distributa. Hinc fiet vt in ipso sit mixtio & confusio particularum quæ ad alia corpora pertinebant: & alia corpora careant multis particulis sibi alioquin debitis. quod si omnes sint anthropophagi, similis erit in ipsis confusio: in qua quantum singulis restituendum qui comesti fuerint: & quantum ipsi qui comedit, sola diuina sapientia, non Angelica statuere potest. Attingi hanc rem breuiter in Opere De Iustitia lib. 4. cap. 3. dubit. 2. vbi inter alias rationes cur esus humanæ carnis esset illicitus, dixi quod per eam magna ex parte confunderetur distinctio corporum in resurrectione. quod quidam heterodoxi in Austria non intelligentes, frustra reprehendere sunt ausi, vt mihi retulit nobilis & ampliss. vir Carolus de Outselar Consiliarius: verum ex his quæ nunc diximus, facile intelligent. Quod autem quidam putant, particulas illas in seipsis quasi multiplicandas, vt integræ in diuersis corporibus esse possint, sicut Christi corpus in augustissimo Eucharistiæ mysterio est in pluribus locis; absurdus est quàm vt refutatione egeat.

Quartò, Multa quoque in corporibus eorum qui vel mutili vel manci fuerunt, erunt supplenda; quod credibile futurum ex ijs particulis, quæ aliquando eidem corpori iunctæ fuerunt, & postea per calorem naturalem diffusæ: quomodo Angeli has cognoscent & seligent? Omitto alia multa, quæ in hanc sententiam dici possent.

122. Ex quibus patet, etiam si Angeli seruire possint in quibusdam cineribus colligendis, (quod satis est ad Doctorum illorum sententiam sustinendam;) non tamen in omnibus particulis quæ ad corporis totius constitutionem pertinebunt. Itaque valde credibile est, hoc totum virtute diuina peragendum, cui omnes illæ particulae notissimæ: quæ omnes illas ex infinitis locis, et in infinitis rebus permixtæ sint, potest imperceptibili tempore in vnum locum

col-

colligere, sicut partes illæ, ex quibus corpus Adami compactum & formatum à solo Deo coactæ. Nec obstat, quod Dominus dicat se *missurum Angelos cum tuba, qui colligent electos à quæ non veniis*, (vnde colligunt quidam Doctores collectionem cinerum per Angelos faciendam) quia non loquitur de collectione cinerum, sed electorum iam resuscitatorum, qui ex omni plaga mundi resurgent. Hæc tamen collectio cinerum seu particularum ex quibus corpus formandum, non fiet in puncto temporis Mathematico: nihil enim opus est tam stupendo miraculo. Si enim fieret in puncto, vel transferrentur illæ particule per medium, vel sine medio. Per medium transferri nequeunt; quia eodem temporis puncto deberent esse in omnibus locis mediis, & simul in termino. quod sine replicatione & quasi multiplicatione illarum fieri nequit. Neque etiam sine medio transferri possunt, nisi in termino à quo desinant conservari, & in termino ad quem eodem temporis puncto reproducantur. Quæ omnia etsi Deo possibile, tamen minimè necessaria. Itaque sufficit ut in tempore fiat hæc translatio seu collectio, quod tamen ob brevitatem sit imperceptibile.

Collectio cinerum non fiet in puncto temporis, sed tempore brevissimo & imperceptibili.

In quem verò locum sint hæc particule congregandæ, incertum est. Credibile, congerendas ad monumenta, vel si non habuerunt monumenta, in eum locum ubi plus materiæ illius corporis remanserit. Posita hac materiæ collectione, subito diuina virtute omnia corpora formabuntur, & accipient dispositiones animæ suæ congruentes. Non, tamen fiet hæc formatio in instanti, quia requirit motum localem; sed tempore imperceptibili, in cuius ultimo instanti in quo ipsa formatio complebitur, unietur anima corpori, & complebitur resurrectio. Vnde si resurrectio accipiatur pro vnione animæ cum corpore, fiet in instanti: si autem accipiatur pro tota illa operatione, qua particule colliguntur, & in corpus humanum formabuntur, sicut passim accipi solet, fiet in tempore, sed brevissimo & imperceptibili.

Formatio corporum non fiet in instanti.

Petet aliquis, Vtrum non solum corpus, sed etiam singula membra, viscera & c. debeant formari ex iisdem particulis materiæ, quibus antea constiterunt? S. Augustinus in Enchiridio cap. 89. putat id non esse necessarium, exemplo statuæ quæ refusa est eadem, etiam si membra eius non iisdem materiæ partibus consistant: simili modo sufficere, ut sit eadem materiæ massa, qua corpus constabit, etiam si membra non iisdem consistant. Verum contrarium tenendum est: alioquin non essent eadem ossa, eadem venæ, arteriæ,

Singula membra sua constituitur materia.

ria, nerui, eadem viscera, eadem membra, idem pectus, idem caput, eadem pellis, eadem caro, non enim eadem esset materia illarum partium, post resurrectionem, quæ antè fuit: ac proinde non esset idem numero corpus organicum, etiamsi totum corpus sit ex eadem materia massa. Deinde, nulla est ratio cur singulæ particulæ non restituantur suis membris & locis, cum Deo id æquè sit facile, & planè necessarium sit ad perfectam identitatem corporis e surgentis. Non enim si materia sit diuersa, erit verum dicere, eadem numero membra, eadem ossa, eandem carnem resurrecturam; quod Scripturis non est consentaneum. nam Iob 19. dicitur: *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum æuam: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciantur sibi, & non alius.* Loquitur de pelle, carne & oculis quæ tunc habebat. Statua refusa non est eadem numero, sed speciei tantùm, nam forma diuersa numero, & membrorum materia similiter. Denique non solum singulæ particulæ materiæ suis membris & locis restituentur, sed etiam formæ eadem partiales: alioquin non esset eadem numero caro, idem os, idem Cerebrum, &c. Formas etiam accidentarias credibile est easdem fore, quantum conditio corporis ad incorruptibilem & gloriosum statum perfectè reformati patitur: omnes enim resurgent perfecti & integri, etiamsi hîc fuerint mutili: omnes in statu perfectæ ætatis, in quo creati primi parentes. Nulli ibi corpore pusillo, vt nani, vel infantes: nam id prouenit ex defectu materiæ, vel virtutis seminalis, vel ætatis, est quæ magna naturæ imperfectio. Oportet vt illud opus, quod proximè solius Dei manu plasmabitur, sit omnino perfectum, absque vilo naturæ defectu, non solum in electis, sed etiam in reprobis: vt docet D. Thom. in 4. d. 44. etsi in electis credibile sit, etiam naturalia fore magis eximia quàm in reprobis.

125. *T*ria supradicta opera, nempe collectio cinerum, formatio corporum, vnio animarum cum suis corporibus, & consequens resurrectio, peragentur ad nouissimæ tubæ sonitum, vt constat ex Apostolo 1. Corinth. 15. *Qui talis erit, vt statim ab omnibus toto orbe exaudiatur.* Nam immediatè ante resurrectionem incipiet, & post resurrectionem continuabitur saltem tam diu, vt ab omnibus iam excitatis exaudiri possit: nam vt Dominus ait Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, id est, omnes mortui audient vocem quæ imperio Christi ab Angelis die nouissimo edetur, & omnes qui addierint, uiuent, id est, statim vitam in corpore*

*Sennu tuba
audietur à
mortuis.*

accipient, & sic resurgent. Vbi etiam indicatur, mortuos audituros hanc vocem ante resurrectionem, & per hanc vocem auditam excitandos ad vitam. Caietanus in hunc locum, putat sermonem esse metaphoricum, vt mortui dicantur audire, non quod sint percepturi illam vocem, sed quia instar audientium, voci obediunt, & resurgent. Sed verius videtur, mortuos audituros hanc vocem ante resurrectionem, non auribus corporis, sed vi animæ, quæ etiam suum auditum habet, quo voces percipere & audire possit; sicut Angeli & dæmones voces audiunt: alioqui non bene intelligi potest, quid sibi velit illud, & qui audierint, viuent: videtur enim τὰ ἄλογα, si sic exponas, qui obediuerint voci, viuent. Itaque mortui corpore, ratione animæ dicuntur audire. Ad hunc auditum subito, animæ sistuntur suis corporibus, tanquam vi istius vocis impulsæ, & eadem celeritate ipsa corpore componentur, & animæ vniuntur; & ita eandem vocem etiam auribus corporis percipient. Hinc colligimus, hanc vocem fore causam resurrectionis non physicam, sed moralem: nam ex vi diuini decreti habebit sibi annexam & quasi vnitam diuinam potentiam, eamque applicabit ad hunc effectum producendum. Simile fuit in voce Domini, cum Lazarum excitans dixit: *Lazare, veni foras*; vel cum adolescenti, *Adolescens, tibi dico, surge*; vel puellæ, *Talitha cumi*. Puella surge. Per hanc enim vocem, omnipotentiam suam ad hunc effectum applicauit, & ipsi mortui per animam hanc vocem percipere.

Voce tubæ
fiat congregatio electo-
rum.

Hæc voce congregabuntur electi ex omni parte orbis ad locum 126
ipsis destinatum in iudicio, sicut olim apud Iudæos sono tubarum solet fieri congregatio: quod statutum à Domino Numeror. 10. Indicat id Dominus Matth. 24. cum ait: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis calorum vsque ad terminos eorum*. At quomodo congregabunt eos, nisi conuocando tubarum sono? Non enim opus erit eos transfere, cum dote corporis gloriosi sponte possint Christo obuiam occurrere, & rapi in æt. *Congregabunt eos à quatuor ventis*, id est ab Oriente & Occidente, Meridie & Septentrione, hoc est, ex omni orbis parte; nam ubique fiet resurrectio. Idem significatur illis verbis: *A summis calorum*, &c. Græcè ἀπὸ ἀκροῦ ὀρεῶν, id est, *ab extremis calis*; ἀκροῦ enim significat, extrema quælibet, siue sint summa, siue infima, siue dextra, siue sinistra. Noster Interpres passim vertit *summa*; vt Deuter. 4, 32. Psal. 18, 6, 7. Marc. 13, 27. Vnde sensus est: *Congregabunt electos ab extremis calorum*

lorum usque ad terminos eorum: id est, quotquot ab vno extremo usque ad alterum inueniuntur. Porro idem est, ab extremo celi, & ab extremo terra, vt patet ex Marco loco notato: quia cælum videtur coniungi terræ in horizonte, & superficies terræ vndique ad cælum extendi. Loquitur enim Scriptura populariter, non Philosophicè.

127 Petes, Vtrum plures sint futura tubæ, an vna tantum, qua omnes excitentur? Plures fore docet Chrysostomus 1. ad Thessal. 4. Occumenius ibidem, & S. Anselmus in Elucidario. Hoc puto verius, nempe, plures fore per orbem (etsi fortè vno loco tantum sit vna) vt vbique mortuis supra caput intonet: non etiam apud Antipodes audiri debet. Deinde si vnica foret, non nisi longo tempore sonus eius per orbem deferri posset, vt patet ex tonitru, & bombo tormentorum. Atqui simul vbique exaudiri debet, vt simul fiat omnium resurrectio & immutatio viuientium.

Dices, Miraculo vbique simul exaudiendam; nam etiam apud inferos audietur. Respondeo, Non auribus corporis ibi audiendam, sed spiritali modo, sicut à dæmonibus audiuntur inuocationes magorum: ad quod opus non est sonum procul deferri. Deinde, idem probari videtur verbis Domini supra allatis: *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius.* Si vna tantum erit tuba, non opus erit mittere multos Angelos, quia vnus solus sufficiet qui tubam inflabit: nam per tubam fiet electorum congregatio. Itaque plures erunt tubæ, & plures Angeli, qui ad iussum Archangeli eodem momento vbique terrarum tubas suas inflabunt: sicut ad iussum præfecti in naui omnes remiges simul in remos confurgunt. Hanc enim similitudinem insinuat Apostolus 1. ad Thessal. 4. cum ait: *In iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* In iussu, Græcè ἐν κελεύσει, quod proprie significat imperium & adhortationem præfecti in nauibus, vt remiges in remos alacriter incumbant. Vtrum autem huic tubæ coniungenda sit vox articulata: *Surgite mortui, uenite ad iudicium*, incertum est. Vtraque pars suos habet Auctores. Caietanus, Iansenius, Maldonatus, & multi alij negant. Ipse enim tubæ sonus hoc ipsum, sufficienter significabit, vt non sit opus alia voce: sicut etiam significabit aduentum Iudicis. Nec obstat illud, *cum tuba & voce magna*: quia illud & non habet vim copulæ, sed expositionis. & textus Græci habent, *cum tuba vocis magna*. Quod verò ad reprobos attinet, opus erit pluribus Angelis: quia, vt Dominus

plures erunt
tuba per orbem.

Math. 13.

Reprobi per
Angelos con-
gregandi.Vallis Iosa-
phat locus
Iudicij.
Act. 1, 11.Math. 13.
& 24.
Apoc. 14.

Act. 1, 11.

minus ait: *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum:* nimirum vt transferant ad Iudicij locum. quod breuissimo tempore ab vno peragi nequit. Itaque ad congregandos electos, solum opus erit Angelis illis qui tubas inflabunt: ad reprobos vero, quia seipfos transferre non poterunt, opus erit aliis qui illos transferant. Quidam putant hos transferendos per demones. Sed reus reum sistere non solet: nec ipsi possent tanta celeritate. Fiet ergo per Angelos Iudicis ministros ac satellites, non sine speciali diuinæ potentiz auxilio, vt res celerrimè transigatur.

Quod ad locum attinet in quo congregandi reprobi, communis sententia Patrum & Doctorum est, esse vallem Iosaphat, quæ est iuxta montem Oliueti prope Ierusalem. Colligitur ex c. 3. Ioëlis. *Ecce, inquit, in diebus illis, & in tempore illo cum conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem (hæc est, cum Iudæi fuerint conuersi:) congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disciprabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel.* Et intra: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebit iudicem omnes gentes in circuitu.* Quibus locis agi de extremo Iudicio, manifestum est ex toto illo capite: agitur enim ibi de temporibus nouissimis quibus conuertentur Iudæi, & exercitus impiorum cum Antichristo delebitur, & erunt signa in sole, luna, & stellis, & messores Angeli falcem in messem immittent, & vindemiam vinearum humani generis facient, & torcularia impiorum sanguine ac suppliciis redundabunt. Quæ omnia ad extrema tempora pertinere, etiam ex Euangelio & Apocalypsi constat. Itaque in valle Iosaphat fiet hæc congregatio. Congruit id etiam aliis mysteriis, nimirum, vt in illa regione ipse iudicet omnes, vbi pro omnibus ipse inique iudicatus: ibique conspiciatur eius maiestas, vbi antea visa est eius abiectio & humilitas: vt ibi descendat de cælo, vnde ad cælum ascendit; & sic totum opus salutis nostræ, eodem loco quo inceptum & prouectum est, compleatur & terminetur. Indicarunt id ipsum Angeli, quando Dominus ad cælum ascendit. Denique Ierusalem in medio terræ. Non tamen existimandum, omnem illam multitudinem hac valle continendam: satis est ibi meditullium constitui, etiam si per plurima milliaria in omnem partem se diffundat.

Dices: Iosaphat idem est quod *Dominus iudicabit*; ergo quiuis locus Iudicij potest dici vallis Iosaphat, quia est vallis in qua Dominus iudicabit. Respondeo: Si etymon spectemus, verum est. Simili

mili modo quibus locus in quo Christus nasceretur, posset dici Bethlehem, id est *domus panis*; quia Christus est panis: non tamen idcirco dubium erat ubi Christus nasciturus esset; quia eo nomine peculiariter certum oppidum vocabatur. Quare cum Scriptura dicat Iudicium futurum in valle Iosaphat, & vna tantum sit vallis quæ sic peculiariter appellatur, de illa id intelligendum. Alioquin plurimæ Scripturæ per nominum Hebraicorum interpretationem eludi poterunt, vel incertæ reddentur. Vide Iosephum à Costa lib. 4. De temporibus nouissimis c. 13. & 14. ubi etiam hanc sententiam confirmat, ex cap. 14. Zachariæ. Indicat enim Zacharias montem Oliuarum (iuxta quem vallis Iosaphat) scindendum in quatuor partes, vt fiat maxima planities, in qua excipiantur iudicandi.

CAPVT XXII.

De comparitione Iudicis, eiusque sententia.

130 **T**RIA nobis hîc sunt explicanda: maiestas Iudicis, reorum discussio, & sententiæ prolatio. Quod ad primum attinet, simul atque omnes iudicandi congregati fuerint, reprobi quidem in valle Iosaphat, electi verò in aère, incipiet in sublimi comparere Iudex sensim descendens cum summa potentia & gloria, circumdatus nubibus. Colligitur ex verbis Domini: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & maiestate.* Matth. 24. item: *Cum veneris Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Eadem habentur apud Marcum & Lucam. Marci 13. Lucæ 21. Idem insinuauit Dominus cum staret coram Concilio Iudarum iam comprehensus: *Verumtamen, inquit, dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli.* Vbi tangit duo loca Scripturæ, quæ hanc eius gloriâ declarant: quorum alter ex Psalmo 109. alter ex cap. 7. Danielis.

131 idem multis aliis Scripturæ locis insinuatur. Ex quibus septem circumstantiæ colliguntur, quæ multum ad Iudicis maiestatem facient.

Primò, Quòd signum Crucis illustri & augusta specie apparebit in cælo. indicat hoc Dominus, cum ait: *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo.* per quod signum omnes ferè Patres & Doctores

Septem circumstantiæ ad maiestatem Iudicis pertinentes. Matth. 24.

intelligunt *signum Crucis*: qui planè est sensus Ecclesiæ, quæ in Officio canit, *Hoc signum crucis erit in celo cum Dominus ad iudicandum venerit*. Quidam putant, ipsam crucem in qua Dominus pendit, diuinitus instaurandam, & ibi apparituram. Verum ad hoc opus esset multis miraculis, quæ sine necessitate non sunt multiplicanda. Deinde, hæc minor est quàm ut toti orbi possit esse conspicua. Tertio, non apparebit ut adoretur, (ad quod ea quæ Dominus suo cruore consecrauit videretur aptior;) sed ut maiestatem Iudicis repræsentet, & iniquos confundat & redarguat. Denique, non dicitur Crux Christi apparitura in celo, sed *signum crucis, signum Filij hominis*. Vnde verisimilius est, ex aëre vel nubibus formandam ingentem quamdam & lucidam Crucis figuram, quæ ab omnibus conspici longissimè possit. Multi Patres dicunt illam fore splendidiorem sole. Hoc signum vel ante ipsum Iudicem aduentantem ab Angelis deferetur, sicut ante Imperatorem labarum & insignia Imperij deferri solent: vel certo loco fixa in celo ante Iudicis aduentum conspicietur, ut omnibus sit indicio ipsum mox adfuturum. Multa hæc Crux significabit. Primo, Iudicem per crucem sibi hanc gloriam & potestatem iudicariam comparasse. Secundo, Ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse; ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc maxime turbabuntur Iudæi & Gentiles, qui Christo & sectatoribus eius crucem improperebant, & eos persequebantur. Tertio, Omnes Crucifixi cultores & amatores iam esse exaltandos, & omnes eius osos deprimendos. Non est dubitandum, quin hæc apparitio sit futura valde mirabilis, & magnos motus animorum, præsertim in impiis, excitatura; cum Dominus speciatim huius rei meminerit, & addat: *Tunc plangent omnes tribus terre*, nempe omnes iniqui aspectu Crucis exulcerati & perturbati.

Thomas
V Valdenfis
tom. 3. c. 158.

Chrysof.
Theophyl.
Euthymius.
Ephraem.
Methodius.

In corpore
glorioso.

Secundo, Quod Iudex apparebit in corpore glorioso, supra solis 132
fulgorem splendido. Insinuatur id, ut quidam volunt, Isaie 24. *Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum*. quasi dicat, Ita vincet maiestas & splendor Christi splendorem solis, ut sol merito possit erubescere. Puto tamen alium esse istius loci sensum, & Prophetam loqui de obscuratione æstorum luminarium instante Iudicio. Idem indicatur apud Euangelistas, cum dicitur *uenturus cum maiestate*, id est, cum gloria: Græcè enim est, *ἔρχεται μετὰ δόξης πολλῆς, cum potestate & gloria multa*. quam gloriam noster Interpres sæpè claritatem vocat. Et sanè si iusti tamquam

quam sol fulgebunt in regna Dei, multò magis ipse Dominus iustorum.

Tertio, Quòd veniet cunctatus omnibus Angelis, vt apertè habetur apud Matthæum: *Cum venerit filius hominis in maiestate sua (in gloria sua) & omnes Angeli cum eo.* idem significatur cum dicitur *venturus cum virtute multa, siue cum potestate magna*; significatur enim exercitus Angelicus cum quo descendet, qui erit innumerabilis. Valdè credibile est, Angelos omnes apparituros in corporibus splendidis; alioqui hæc Christi gloria & potentia non posset videri ab impijs, quorum tamen causa præcipuè exhibebitur; neque externam eius maiestatem, (quam describere vult Scriptura) ille exercitus aueret. Cum ergo innumerabilis sit Angelorum multitudo, longè lateque supremae aëris regiones vndique per multa millia milliariù vsque ad cælos ipsos replebunt, & immensè exercitus speciem præbebunt. His accedet ex parte dextra innumerabilis multitudo electorum in corporibus gloriosis, qui omnes similes erunt Angelis. Vnde impij in terris eos ibi cum Angelis videntes dicent: *Ecce quando computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. Filios Dei & Sanctos* vocant Angelos, quos cum Iudice viderunt descendentes. His omnibus tamquam ministris & satellitibus Dominus cinctus erit. Ab his omnibus tamquam Dominus, & Rex, & Deus adorabitur, iuxta illud Psal. 96. *Et adorent eum omnes Angeli eius*, quod in secundo aduentu adimplendum indicat Apostolus ad Hebr. 1.

Cum omnibus Angelis. Matth. 25.

Omnes Angeli in corporibus splendidis apparebunt.

Sap. 5.

Cinctus nubibus.

Act. 1.

Sedebit in throno augustissimo.

133 Quarto, Quòd venturus cinctus nubibus. Hoc multis locis Scriptura commemorat, tamquam ad maiestatem Iudicis mirificè faciens, vt Danielis 7. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.* Idem habetur apud Matthæum, Marcum, & Lucam. Idem Dominus coram concilio ex Daniele produxit. Denique, sicut cum ascendit in cælum, nubes eum suscepit; ita in nubibus descendere debet. Putant aliqui, hæc nubes fore procellosas, ignem & fulmina jaculantes, iuxta illud Psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* quam sententiam probat Barradius, si dicamus, partes superiores harum nubium fore splendidas, inferiores procellosas, igne & fulminibus grauidas.

Quinto, Quòd sessurus in sede maiestatis suæ, vel vt Græcus habet, *in throno gloriæ suæ.* Matth. 25. Christum in Iudicio sessurum in throno Scriptura multis locis docet: Daniel. 7. *Aspiciebam donec throno-*

throni positi sunt, & antiquus dierum sedet. hinc Danieli ostensi duo throni iudiciorum, alter pro antiquo dierum, quo significatur Deus Pater, vel ipsa Diuinitas in tribus personis subsistens, & invisibiliter iudicans; alter pro Filio hominis cui Pater omne iudicium dedit, nempe ut visibiliter iudicet. Apoc. 20. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & calum, & locus non est inuentus eis.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primò, tantam fore maiestatem & gloriam sedentis in illo throno, ut quidquid est in cælo, & in terra, comparatione illius sit instar nihili. quod verum est, si Diuinitas eius consideretur. Secundò, tantam fore eius maiestatem & potentiam, ut ad eius imperium terra & cælum sint peritura, amissa pristina forma, seu specie externa, & in nouam commutanda, iuxta illud Apoc. 21. *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Forma huius throni erit augustissima, qualis deest maiestatem tanti Iudicis.

Sextò, *Quòd ante illum*, id est, coram illo, congregabuntur omnes ¹³⁴ gentes, nimirum omnes, quotquot ab initio mundi vsque ad finem toto orbe extiterunt. Neque solum omnes gentes, sed etiam omnes dæmones. itaque tota natura rationalis ibi aderit. Idem multis aliis Scripturæ locis habetur. Psal. 85. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi. scriptum est enim: Qui ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Neque solum aderunt omnes homines, sed etiam omnes dæmones: nam & hi quoque publicè iudicandi. Insinuatur id Psalmo 109. *Donc ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Omnes inimici Christi (inter quos dæmones imprimis) tunc erunt subiecti pedibus eius instar scabelli: omnes ut Rei pedibus Christi substrati iacebunt, ipse in sublimi folio sedebit ut Iudex. Tunc in nomine Iesu omne genu flectetur, caelestium, terreiurium & infernorum (id est, omnes illum & homines, & dæmones, & Angeli sancti adorabunt) & omnis lingua confitebitur illum esse in gloria Dei Patris. id est, illum esse filium Dei, & confortem gloriæ paternæ. Tunc implebitur illud quod dixit Dominus Caiphæ & Concilio Iudæorum: *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, id est, in ea gloria, ut iudicetis illum esse confortem eiusdem throni & potestatis. Mirabile spectaculum, in sublimi aère videre in corpore glorioso sedentem in throno splendido, circumfusum innumeris Angelorum legionibus totum hemi-

Math. 25.
Omnes ante
illum con-
gregandi.

Philip. 2.

Math. 26.

sphærium vsque ad cælum occupantibus, stipatum ad dextram immenso beatorum hominum exercitu, qui omnes instar solis splendebunt: infernè in terra ad sinistram, infinitam multitudinem damnandorum humi prostratam, gementem, vlulantem, vociferantem, quæ superficiem terræ longè latequè occupabit; furentibus in eos dæmonibus, & omnem rabiem suam in miseros illos effudentibus. Valdè enim credibile, etiam dæmones in corporibus apparituros: vel quia alioqui ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi gloriam & impiorum confusionem vt videantur.

135 Septimò denique, ad gloriam Christi Iudicis faciet, quòd ipse non iudicabit alienos subditos, sicut Proreges & Governatores à supremo Principe constituti, sed proprios seruos: omnes enim & Angeli & homines eius serui sunt. Angeli tam boni quàm mali triplici titulo. Primò, Ratione creationis; & sic sunt serui Christi, quatenus ipse est Deus & creator omnium. Secundò, Ratione vnionis hypostaticæ: per hanc enim iste homo secundum naturam humanam factus est omnium Dominus per excellentem potestatem & ius eminentissimùm inter omnia iura & potestates quæ infra ius Diuinitatis cogitari possunt. Tertio, Ratione meriti, quatenus se humiliando vsque ad mortem crucis, meruit exaltari supra omnia, & sit omnium Dominus & Iudex, vt Apostolus ait ad Philip. 2. & ad Rom. 14. v. 9. & 11. non quòd alia sit dignitas aut potestas quam habet ex vi vnionis hypostaticæ, alia quam accepit ex merito suæ humiliationis & obedientiæ; sed quia hanc duplici titulo habet, & ex merito accepit eius exercitium, vt indicatur illis verbis Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in calo & in terra.* & ad Philip. 2. Homines verò sunt subiecti Christo quadruplici titulo: nam præter hos prædictos est titulus redemptionis, quatenus pro illis pretium Sanguinis sui dedit, vt eos à morte liberaret, & sibi seruos efficeret. Itaque iudicabit proprios seruos, & propria auctoritate quam à se habet, nempe à sua persona & suo merito. Hac de gloria Iudicis.

*Suos subditos
vt seruos iudicabit, non
alienos.*

*Angeli tri-
plici titulo
serui Christi:*

*Homines qua-
druplici.*

136 Sequitur vt dicamus de iudicandorum discussione. Sicut inter homines, Iudice sedente pro tribunali, adductis illis qui pœna vel præmio afficiendi, proponuntur facta singulorum publicè coram omnibus, vt omnes ea intelligant, & videant sententiæ æquitatem: ita in magno illo & supremo tribunali publicè proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pœna digna; ita vt

Discussio iudicandorum.

M m m omnes

omnes & singuli de quouis intelligere possint, quid boni vel mali tota vita fecerit. Hæc manifestatio vocatur discussio & examen Iudicis, quia pariet illam notitiam in omnibus, quæ per examen & multas interrogationes obtineri solet, & multo maiorem. Est quidem hæc res valde stupenda, tamen de ea nullo modo dubitandum, cum multis locis tradatur in Scripturis. Daniel. 7. *Iudicium sedet, & libri aperti sunt.* id est, Iudex sedet, & mox omnium conscientiarum patefactæ, seu omnium opera, quorum sibi homo unquam fuit conscius. In quem locum S. Hieronymus: *Conscientia & opera singulorum in utramque partem, vel bona vel mala omnibus reuelabuntur.* Apoc. 20. *Vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vitæ: & iudicati sunt mortui, ex ijs quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Hic ponuntur duo libri, qui nunc quidem clausi, sed tunc aperientur, nempe, Liber vitæ & Liber conscientiarum. *Liber vitæ* est, in quo continentur nomina eorum qui vitam æternam obtinebunt, & eorum bona opera. hic liber est memoria diuina, in qua ista omnia singulari modo descripta. *Iste liber aperietur eo ipso quo omnes saluandi resurgent in corporibus gloriosis, & rapientur obuiam Christo in aëra, ibique Iudici ad dexteram adstant: hinc enim omnes certissime cognoscent quinam sint electi, & destinati ad vitam æternam.* Liber conscientiarum non est vnus sicut liber vitæ, sed multiplex, pro multitudine iudicandorum: singuli enim ex propria conscientia, & ex ijs quæ ipsi in sua conscientia scripserunt iudicabuntur. Denique Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Itaque nolite ante tempus iudicare,* (nempe de ijs quæ nunc occulta sunt) *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit unicuique à Deo. Illuminabit abscondita tenebrarum;* id est, ea quæ nunc latent veluti in tenebris, (eò quòd à nobis sciri non possint) ponet in lumine ut ab omnibus videri possint, sicut colores & formæ rerum quæ noctu latent in tenebris, sole illustrantur, & omnibus fiunt conspicuæ.

Petes, quomodo id fiet? Respondeo: Illuminando mentem cuiusque, tum circa propria facta, tum circa aëna, ut docet S. Augustinus lib. 2. De Ciuit. cap. 14. Ad quod requiritur primò, ut quilibet reducat in memoriam omnia bona & mala quæ unquam fecit, cum omnibus circumstantiis necessariis. Secundò, ut mentem illuminet ad ea secundum iustitiæ rationem æstimanda, ut quisque clarè intelligat quid mereatur. Tertio, ut singulos etiam illuminet ad

Hieronymus

Duo libri in Iudicio, liber vitæ & conscientia.

Quomodo Deus illuminabit abscondita tenebrarum. Augustinus.

137

ad quorum uis aliorum operum cognoscenda & aestimanda, quæ perinde illi obiiciuntur, ac si ipse ea perpetrari vidisset, eaque haberet in recenti memoria: obiciuntur enim cum suis circumstantiis, sicut ipsa gesta fuerunt. Neque solum opera externa, sed etiam internæ cogitationes & uolitiones, ut aperte indicat Apostolus cum ait, *Manifestabit consilia cordium*. Itaque patebunt omnes rectæ & prauæ cogitationes, omnia desideria, omnes intentiones ex quibus opera externa prodierunt: non tamen ista uidebuntur intuitiue, præsertim cum præterierint, & modo non extant; neque tam sublimis illustrationis modus est necessarius, sed eo modo cognoscuntur, quo cognoscimus ea, quorum perfectam habemus recordationem, ut cum quis uidit prælium, vel quid aliud exterius geri, in eo manet quædam notitia habitualis per quam postea sibi ponit idem ob oculos mentis perinde ac si præsens intueretur: unde sicut recordatio similis est notitiæ intuitiue, quia rem ponit ob oculos cum circumstantiis loci, temporis, personarum, &c. ita hæc notitia eidem similis erit. Ut autem quis recordetur suarum cogitationum vel desideriorum præteritorum, non est necesse ut illa intuitiue uiderit, vel secundum specificam essentiam cognouerit, sed satis est ut ea confuse apprehenderit, sicut solemus actus nostros internos apprehendere: ex tali enim apprehensione manet quædam notitia habitualis, quam uocamus memoriam, per quam possumus post longum tempus eadem rursus actu cognoscere, recordando. Similis notitia inseretur mentibus singulorum circa omnes actus etiam internos aliorum, ita ut quilibet possit clare cognoscere, quid boni vel mali quisque patrarit. Hac manifestatione posita, non opus erit aliis scriptis vel testibus, ipsa enim conscientia & lumen internum, quo quisque uidebit sua scelera, accusabit ipsum, & simul contra ipsum testabitur & reum peraget, ita ut exterius non audeat negare, quod aperte insinuat Apostolus ad Rom. 2. cum ait: *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum*. Deinde sicut cuique sua peccata patebunt, ita etiam toti mundo manifesta erunt & toti mundo notoria, perinde ac si in conspectu omnium essent patrata. Unde sicut in ijs quæ toti mundo & ipsi Iudici sunt notoria, nullus est locus tergiversationi, ita nec ibi erit. Denique uidebit clare, omnes cognoscere internam accusationem, qua conscientia propria ipsum accusat & cõdemnat. Nullus modus efficacior conuincendi reum, & omnem tergiversationem adimendi, potest excogitari.

• M m 2 Petes

Non uidebuntur intuitiue: sed sicut ea quæ sunt in memoria.

Etiā peccata electōrum videntur manifesta.

Peres secundò, Vtrum etiam peccata electorum, quæ per pœnitentiam deleta fuerint, tunc ab omnibus sint conspicienda. Magister in 4. d. 43. probabilius putat non conspicienda: quia par est, vt ea quæ hic tecta per pœnitentiam fuerint, ibi quoque tecta sint. sed contrarium est Scripturis conformius: Matth. 20. *Nihil opertum quod non reuelabitur: & occultum quod non scietur.* Ecclesiastæ ultimo: *Cuncta quæ sunt, adducet Deus in iudicium, siue bonum sit, siue malum.* hic nullum opus malum excipitur. & Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus:* vbi indicat, tunc de omnibus certò posse iudicari, de quibus modò non potest. Rationem addit, *quia tunc Dominus illuminabit abscondita tenebrarum.* non quædam tantò, sed omnia, vt de omnibus possit iudicari. Fauet etiam Ratio: Quia omnia illorum bona opera sunt manifestanda, ac proinde illorum pœnitentia, & confessio peccatorum, & austeritas vitæ in satisfactionem pro peccatis suscepta. hoc enim necessarium est, vt intelligatur iudicij æquitas. Deinde manifestari debet misericordis & gratia quam eis Deus præstitit in hac vita, per quam datum est illis à peccatis resurgere, & salutem consequi: hoc enim maximè pertinet ad gloriam Dei, vt sciatur, totum electorum bonum potissimum ex ipsius provenire gratia. Neque hinc aliquo pudore afficientur (quia hunc beatitudinis status excludet) sed magis seipos humiliabunt, & omnia sua bona Dei misericordis adscribentes, eidem gratias agent.

Probatio sententis.

Facta plena discussione & operum manifestatione, proferet Iudex sententiam. Primò in electos, qui erunt ad dexteram in sublimi, audientibus & videntibus omnibus reprobis: *Venite benedicti Patris mei, possidere paratam vobis regnum: à constitutione mundi,* vt habetur Matth. 25. Hæc sententia sensibili voce ferenda à Domino, vt passim Doctores tradunt, cum vt à reprobis intelligatur, tum quia iudicium inter homines sensibili modo fieri convenit, qui solus naturæ humanæ accommodatus. Iudex enim apparebit visibilis, & thronus erit visibilis, & iudicandi erunt visibiles, & sonitus tubæ quò excitabuntur & vocabuntur ad Iudicium, erit sensibilis, cur etiam sententia ipsa non sit sensibilis? idem dicendum de sententia quæ feretur in reprobos. Quod etiam colligitur ex verbis Isaïæ: *Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Et infra: *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in conuinatione furoris, & flamma ignis deuorantis.* & Psal. 67. v. 35. *Ecce dabit voci suæ vocem vir-*

Isaïæ 30.

virtutis, id est, faciet ut vox sua magnam vim habeat, non solum mortuos excitando, sed etiam eos iudicando.

140 Vocat *benedictos Patris sui*, quia à Patre dilecti, & ad æternam vitam electi, nempe propter mandatorum custodiam, & in bono perseverantiam, iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & rursum: *Qui diligit me, diligitur à Patre meo.* Loquitur enim de benedictione, non quam olim acceperunt in donis gratiæ, sed de futura in gloria, qua se dignos per eius auxilium præstiterunt, (quam & reprobi habere potuissent, si diuinæ gratiæ, sicut facile poterant & debebant, fuissent cooperati) ut opponatur maledictioni quam sibi reprobi accersuerunt. *Possidete paratum vobis regnum.* *ἀληθινὸν κληρονομία*, tamquam hereditatem possidete, nempe quia filij Dei estis: *Si enim filij, & heredes.* Itaque regnum celeste duplici titulo iustis dabitur, ut apertè insinuetur in hac sententia: nimirum ut hereditas filiis, ut patet ex verbo *ἀληθινὸν κληρονομία*; & ut merces vel præmium benè operantibus, cum additur: *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Insinuat etiam firmitas & perpetuitas regni in verbo illo *possidendi hereditatem.* Nomine *regni* intelligitur cælum & omnia bona, quibus in cælo fruuntur Sancti, visio & fruitio Dei, societas Sanctorum, dotes corporum, affluentia bonorum omnium. *A constitutione mundi.* Vbi indicatur, mundum esse conditum propter gloriam Sanctorum, ut ipsi in æternum sint beati in cælo, & participes bonorum diuini. Porro tribus modis paratum est Sanctis regnum: Primo, ab æterno in prædestinatione diuina. idè enim SS. Trinitas ab æterno in diuino & arcano suo consistorio consilium cepit condendi mundi, & homines in mundo, ut eos faceret participes suæ beatitudinis, & omnium suorum bonorum & gaudiorum in cælo. Secundo, in creatione, quando non solum iste mundus inferior, sed etiam cælum supremum, quod *Empyreum* vocatur, & sedes est Beatorum, conditum est. Tertio, per mortem Domini, per quam cælum usque ad tunc clausum, est patefactum, iuxta illud Ioannis 14. *Vado parare vobis locum.* Hac sententia prolata, mira erit Sanctorum læticia & gratiarum actio. Omnino credibile est, omnes in genua vel etiam in faciem procubituros, ut Iudicem adorent, eique gratias agant, quod tantum bonum ipsius potissimum meritis & Sanguine eis obuenerit, ut ex iis quæ Apocalypsis 7. & 7. habentur, colligi potest.

M m m 3

His

Tribus modis Sanctis paratum est regnum.

Math. 25.

Duplex pœna,
damni
& sensus.

His peractis, conuertet se Dominus terribili vultu ad impios ad 141
sinistram in terra positos, & dicet: *Discedite à me maledicti in ignem
aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Duplex hic pœna
indicatur, qua mulctabuntur impij, nempe pœna damni, cum di-
citur: *Discedite à me;* & pœna sensus, cum dicitur: *In ignem aeternum.*
Maledictos vocat, quòd ipsi suis iniquis operibus se dignos &
obnoxios maledictioni & suppliciis pœpetuis reddiderint. Non
dicit *maledicti Patris mei*, sicut antè dixerat, *benedicti Patris mei*, sed
maledicti absolute, quia maledictio à Deo originem non traxit,
sicut benedictio: nam Deus non fuit iniquis causa prauorum ope-
rum, quibus sibi maledictionem accersuerunt, sicut iustus fuit cau-
sa bonorum operum, quibus benedictionem meruerunt; sed ipsi
sibi, cooperante diabolo, causa totius mali fuerunt, iuxta illud
Osæ 13. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.*
Qui paratus est diabolo & angelis eius. Hoc dicit, non quòd etiam
hominibus impijs ignis iste paratus non sit, sed quia primò paratus
est diabolo & angelis, idque ante prauisionem peccatorum ho-
minum. Vnde etiam si homo non peccasset, nihilominus ignis iste
p̄paratus mansisset, & aeternus. Deinde, quia non statim homi-
ni peccanti paratus est ignis iste, sicut peccanti diabolo paratus fuit,
quia cōcessum homini tempus pœnitentiæ, qua possit hunc ignem
euadere, quod diabolo negatum. Hinc longo tempore solus dia-
bolus cum angelis suis huic igni addictus fuit, nam primi homines
multis sæculis viuebant, neq̄ ante mortem ei addicebantur.

Vtrum causa
addentur
voce.

Petes, Vtrum istis duabus sententiis etiam voce addentur cau- 142
sa, *Esuriui enim,* &c. Multi sic putant, quia Dominus Matth. 25.
ista addit. Sed verius puto, hæc spiritali modo proferenda.
Primò, Quia fortè inter Christianos (ad quos solùm istæ causæ
pertinent) pauci sunt qui propter defectum operum misericordiæ
corporalium damnentur; cum nemo ad illa teneatur sub peccato
mortifero, nisi in extrema & graui necessitate proximi. quæ rariùs
ita occurrit vt hunc vel illum in particulari grauius obliget. Se-
cundò, Quia innumeri saluabuntur, qui ista bona opera non fe-
cerunt, vt infantes, Religiosi, & pauperes. Tertio, Quia multa
sunt alia operum bonorum genera illis præstantiora, vt oratio,
ieiunium, opera misericordiæ spiritalia, vsus Sacramentorum,
martyrium, ob quæ iusti saluabuntur. Nulla autem est ratio cur
minus laudabilia voce proferantur, præstantioribus silentio præter-
itis. Si dicas, omnia proferenda; non videtur probabile, quia res
esset

esset infinita, præsertim cū alij aliis bonis operibus fuerint excellentes. Denique, generalis bonorū & malorum commemoratio non sufficit vltimo modo ad cognoscendā sententiæ vtriusque æquitatem in particulari. Quare puto sufficere, vt hæc & aliæ causæ, ob quas hi saluantur, illi dāntur, spirituali modo proferantur, per ipsam operum omnium manifestationem, quæ præcedet sententiā, & durabit etiā post sententiā, ita vt omnes clarè intelligant causas in particulari, ob quas quisque saluetur vel damnetur, & quantum præmij vel supplicij mereatur. Sicut enim in tribunali humano, lectis criminibus reorum, de quibus ipsi manifestè conuicti, fertur voce breuis sententiā quā omnes simul condemnantur, ita in isto Iudicio vniuersali, postquam omnium operum manifestatio præcesserit, voce proferet Iudex vnam sententiā, quæ omnes iustos comprehendat, & aliam quæ omnes iniquos. Quanta verò pœna vel præmio quisque dignus sit, non intelligetur ex ipsa sententiā externa, sed ex operum manifestatione, & interna reuelatione. Nec refert, quòd Dominus Matthei 25. formam Iudicij describens, meminerit potius operum misericordiæ, quàm aliorum: id enim fecit, vt homines, præsertim plebeios, qui ad maiora & spiritualia parum sunt comparati, in hac vita ad ea excitaret, vt quæ sint vtilissima ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad conseruandam augendamque iustitiā. hæc autem ratio cessat in extremo Iudicio, quia tunc homines non erunt ampliùs ad opera misericordiæ excitandi.

*Probabilius,
causas istas
voce non pro-
ferendos.*

143 Petes, Verum etiā paruuli qui sine Baptismo obierunt, ibi sint futuri, & quā sententiā habituri. Quidam putant eos ibi non futuros, ne sciant quid agatur & mœrorem cōcipiant, videntes gloriā Sanctorum, ad quam ipsi quoque conditi. Respondeo, Non videri dubitandum, quin ibi sint futuri. si enim cum aliis resurrecturi, cur non etiā cū aliis iudicandi? Colligitur ex Apostolo ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* & ad Philip. 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum.* hinc omnes creature rationales tribus ordinibus comprehenduntur, vnde non potest tam innumerabilis multitudo excipi: longè enim plures erunt tunc illi, qui in ætate paruula sine remedio obierint, quàm modò toto orbe simul extant homines. Ad hunc enim numerum pertinent omnes qui ante vsum rationis per sex millia annorum inter infideles mortui, vt eos omittam qui apud Indos, vel apud Christianos in vtero vel ante Baptismum perierant. Itaque credibile est, hunc numerum facillè ad mille milliones & ultra excur-

*An paruuli
ibi futuri.*

*Durandus in
2. d. 33. q. 3.*

excur-

excursurum. Si tanta erit multitudo, ubi abscondetur, si ibi non comparebit? quomodo impediuntur scire possint quid in Iudicio agatur? non enim erunt ratione destituti. Quare dicendum est, ipsos ibi futuros, & omnia visuros & intellecturos quæ gerentur: audient enim tubam, & simul cum aliis in ætate perfecta cum perfecto iudicio & sensibus integris resurgent. Congregabuntur in unum locum, seorsim tamen ab impiis, quia ad eorum sortem non pertinent, videbunt Iudicis maiestatem, eumque adorabunt: videbunt Sanctorum & impiorum congregationem, eorumque bona & prava opera cognoscent: audient sententiã Iudicis in utrosque, sibi que gratulabuntur quod non sint de impiorum numero: agent Deo gratias quod ante usum rationis abrepti; quia longè maxima pars eorum, si ad ætatem venisset, in eandem damnationem incidisset, præsertim infidelium filij. Itaque non murmurabunt contra Deum, sed magnopere se illi obstrictos sentient, quod periculis tantorum malorum exempti fuerint. Excipient & ipsi sententiam Iudicis, sed benignam, quæ, etsi à visione Dei & cælesti regno excludentur, tamen statum naturæ dignitati congruentem assequentur, quo contenti & læti, in omnem æternitatem viuant, & Deum laudent. Congruit enim diuinæ bonitati, ut imaginem suam quæ nihil propria voluntate in ipsum peccavit, bonis ordinis naturalis excellenti modo perficiat in illa communi totius naturæ renouatione. Si enim terram, aquam, aërem, & cælestia corpora miro modo ornabit & extollet, prout congruit illi statui: cur non etiam animas istorum, quæ longè omnibus corporibus præstantiores? etsi enim peccatum originis reddat illos indignos gloria cælesti, quæ in visione Dei consistit; non tamen gloria & donis inferioribus ad ordinem naturæ pertinentibus. Vnde mihi fit verisimile, illos habituros insignem notitiam non solum rerum corporalium, sed etiam spiritualium, & cognituros utcumque clarè & distinctè essentiam animæ suæ; & etiam naturas Angelicas, etsi non tam perfectè: videtur enim consentaneum, ut in illa renouatione ita illustrentur, ut proximè ad angelicam perfectionem in cognoscendo accedant, & dono renouationis ita eleuentur, ut si præmium inferioris attingat infimum superioris. Quod etiam ex eo confirmari potest: nam hoc ipso quo illæ animæ à corpore separatae fuerunt, acceperunt notitiam intuitiuam spirituum, etsi non ita claram & distinctam, qualis est in Angelis: alioquin nec seipsas cognoscerent, nec socias, sed planè essent instar cæcorum in altero sæculo. atqui hæc notitia

*Perficiuntur
in ordine na-
turali.*

*Cognoscent
naturam ani-
mae suæ clarè
& distinctè,
Angeli mi-
nus perfectè.*

in renouatione non auferetur, sed perficietur in illis, sicut & ceteræ perfectiones. Confirmatur secundo, Quia cum sint conditi ut cognoscant, ament & laudent suum Conditorum, neque meriti sint priuari ijs donis quibus id naturali modo præsent; non videtur dubitandum quin Deus illos ad hoc perficiet, illustrando intellectum, ut illum cognoscant ex rebus creatis. Vnde ut hæc cognitio possit ad perpetuum amorem & laudem Creatoris deferuire, oportet ut sit valde insignis; ac proinde ut etiam insignem rerum corporalium & spirituum noticiam habeant, per quam ad excellentem Dei cognitionem assurgant. Et quamuis in hoc statu, dum sumus in corpore mortali, non possimus quidquam intelligere, nisi sub quodam idolo corporali: alia tamen erit ratio in statu illo immortalis, ubi omnes vires perficiuntur, ut perfectas habere possint operationes: ille enim modus intelligendi est miserimus, utpote confusissimus, & hærens in externa superficie & accidentibus sensibilibus, ita ut nullius rei etiam finimæ naturam distinctè & clarè possimus intueri. Itaque longè perfectior in illa renouatione dabitur, ut innumerabilis ille infantium populus in suo ordine non sit otiosus, ne frustra in mundo esse videatur, sed ut ex cognitione sui & aliarum rerum creatarum, Auctorem suum & mundi totius illustri modo cognoscant, & cognoscendo ament, & laudent, & gratias ei de beneficiis acceptis in omnem æternitatem agant: ut sic Deus non solum in cælo, sed etiam in terris, nec tantummodo supernaturali & diuino, sed etiam naturali & humanæ naturæ accommodato, semper glorificetur. Hæc sanè sunt valde rationi consentanea, & consona diuinæ bonitati. Si enim, ut passim docent Doctores in 2. d. 33. diuina prouidentia ita cum illis ager, ut nullum sentiant in errorem ob amissionem regni cælestis, eò quod sua propria voluntate non peccauerint: cur non credamus ipsos excellenti modo perficiendos in ordine bonorum naturalium, infra dotes in substantia supernaturales, ut Deum cognoscere, amare, & in æternum laudare possint? quid enim aliud agant in illo statu, aliis omnibus negotiis cessantibus? Consonantur hæc omnia ex Doctoribus Scholasticis. S. Thomas in 2. d. 33. q. 2. a. 2. dicit eos non parum participaturos de diuina bonitate & naturalibus perfectionibus, & fore coniunctos Deo naturalium bonorum communicatione, & ita habituros gaudium de ipso ex cognitione & amore naturali. Item amplectitur sententiam eorum qui docent, eos habituros perfectam cognitionem eorum que naturali cognitioni subiacent. Ly-

Nan ranus

ranus in cap. 4. Ecclesiastæ, explicans illud, *Et indicavi utroque feliciorem qui necdum natus est*; dicit, *eos habituros vitam iucundiorē quā in hoc mundo naturaliter haberi possit*: & ita sentire æque Doctores. Scotus in 2. d. 33. q. 1. probabile ænset, *eos omnium rerum naturalium cognitionem habituros longè maiorem quā omnes Philosophi habuerunt*. Marsilius in 2. q. 19. a. 5. dicit *eos amatores Deum sup̄ omnia*. Idem plerique recentiores? Neque hinc sequitur, illos habituros beatitudinem naturalem, aut (vt aliquando asseruit Pelagius) illos fore beatos extra regnum cælorum; quia labes peccati obstat, quò minùs beatitudinem naturalem obtinere dicantur, etsi forte omnia alia bona illius status habeant. Quod ad Pelagium attinet, is putauit eos verè beatos fore visione Dei, etsi extra regnum cælorum, quod est hæreticum. Nec obstat quòd aliqui veteres durius de paruulis senserint, & maxime S. Fulgentius De fide ad Petrum, cap. 27. quia res non erat adhuc satis discussa, nec pœna debita peccato originali satis cognita.

*Non habent
proprie beati-
tudinem na-
turalem.
Augustinus
Ep. 106. &
Hæres. 88.*

*Non erunt in
specu obs-
ta.*

Quo verò loco futuri sint, incertum. Valdè credibile est, non fore concludendos in specu aliquo profundo, horrido, & tenebrioso: in tali enim loco, resumpto corpore, sine graui afflictione, quam non sunt commeriti, esse non possent. Deinde cauitas ista deberet esse maxima, & latior amplissimo Regno, vt tanta multitudo commodè & absque compressione in ea posset habitare. Facile erit Deo, in mundi renouatione eis locum congruum, nimirum lucidum, æternum, & satis capacem, etiam intra terram (si opus est) præparare. Non deerit diuina benignitas naturæ ad ipsam imaginem conditæ, quæ nulla sua propria culpa bonis cælestibus est exclusa, ad obtinendâ ea quæ excellentiæ illius naturæ sunt consentanea, vt ipsum læta & contenta in æternum veneretur & laudet. Vnde etsi dicantur damnati, quia cælesti gloria ad quam erant conditi, in æternum sint priuati; tamen credibile est, eorum statum longè feliciorem ac lætiorem fore, quàm sit alicuius hominis mortalis in hac vita. Hæc obiter de paruulorum iudicio.

CAPVT XXIII.

De sententia executione & mundi innouatione.

LATA sententia, statim sequetur executio: nam cum Iudex sit ¹⁴⁶ omnipotens, sermo eius est efficax. Hæc executio consistet potissimum in duobus: nam & ignis quo mundus ardebit, summa vi irruet

irruet in damnatos, eosque inuoluet undique; & statim maximo hiatu sub pedibus eorum aperiet se terra usque ad inferos, & tota illa multitudo in illum simul cum igne inuolvente præcipitabitur. Totum hoc fiet cum immenso fragore & strepitu, tum ignis corripientis, tum terræ disultantis, tum hominum cadentium & exclamantium. Colliguntur hæc omnia satis manifestè ex Scripturis; Psal. 96. *Ignis ante ipsum (Iudicem) præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius;* nimirum post latam sententiam. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deicies eos, in miserijs non subsistent. Cadent,* quia ex alto vi sententiæ Iudicis in eos ignis cum carbonibus ardentibus immittetur, quo in ignem infirmi deiciantur. Psalmus 93. *Vt mitiget ei à diebus malis, donec fodiat peccatori fouea.* Loquitur Propheta de extrema illa fouea, in quam cadent omnes peccatores in die Iudicij, ut ex sequentibus versiculis colligitur. Hanc foueam quisque sibi peccando fodit. Psalmo 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Vbi insinuator, hunc ignem fore sulphureum, & instar procellæ vehementissimæ impijs incubiturum, sicut in Sodomis accidit. Matth. 13. *Mittet Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Quibus verbis etiam indicatur, Angelos hunc ignem immisuros, & per illum impulsuros impios in tartarum.

Ignis inuoluet reprobos: terra usque ad inferos abisces.

Porro diuina virtute fiet, ut breui tempore ad terminum perueniat, alioqui facile quatuor aut quinque horis opus foret, ut naturali pondere tantum spatium absoluant, quod putatur esse minimum mille leugarum. Simulatque ad terminum peruenerint, terra firmissimè se claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit: ita ut nullus damnatorum possit unquam exire, vel ad superiora emergere. Spectabunt hæc omnia non solum Beati, sed etiam paruuli qui sine Baptismo defuncti, & iusticiam diuinam admirabuntur, seque felices ducent, quod tantis malis in æternis sint exempti.

Diuina virtute statim erunt in termino.

147 His peractis, mundoque ab omni inquinamento peccatorum per ignem expiato, repente diuina virtute fiet mundi renouatio. Sicut enim resurrectio corporum facta est quasi in momento, ita etiam fiet mundi renouatio tempore imperceptibili. Huius renouationis multis locis S. Scriptura meminit. Isaia 65. *Ecce ego creo celos novos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super eos.* Tanta enim erit illorum pulchritudo & suauitas,

Renouatio mundi fiet subito.

tas, vt priora omnia quasi nihili æstimentur. 2. Petri 3. *Nonos celos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Apoc. 21. *Vidi celum nouum, & terram nouam: primum enim celum & prima terra abiit, &c. & infra: Et dixit qui sedebat in throno: Ecce unua facio omnia.* Idem indicat Apostolus ad Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.*

Quomodo
fit renoua-
tio.

Non erit im-
mutatio sub-
stantia in ca-
lis & ele-
mentis.

Petes, Quomodo hæc renouatio fiet? Respondeo: Hæc renouatio non fiet per interitum substantiæ cælestium corporum & elementorum, & creationem substantiæ nouæ præstantioris, vt quidam putant. Si enim renouatio corporum, quæ fiet in resurrectione, non abolebit priorem substantiam corporis humani (etsi ea tota terrena & per se vilissimæ sit) sed eandem restituet, & vestiet gloria seu qualitibus gloriofis supra naturæ conditionem: multò minus renouatio quæ fiet in cælis & elementis, quæ per se pura, simplicia & incorruptibilia sunt, eorum substantiam abolere debet. Confirmatur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi dicit, *creaturam* (cælestia corpora & elementa) *esse subiectam vanitati & seruituti, & sub hac seruitute ingemiscere & expectare reuelationem gloriæ filiorum Dei*, vt & ipsa liberetur ab illa seruitute. atqui si deberet interire, non expectaret illud tempus, quia non appetit suum interitum: nec ipsa haberet spem libertatis gloriæ filiorum Dei. Denique pertinet ad Opificis dignitatem, vt mundus quem initio condidit, non pereat secundum substantiam, quasi minus bene factus; sed manente eadem substantia, eleuetur ad statum supernaturalem, sicut & ipsa corpora humana. Idem docet S. Augustinus lib. 20. De Ciuit. Dei cap. 14. *Peracto Iudicio tunc esse dicitur hoc celum & hac terra, quando incipiet esse celum nouum & terra noua. Mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus. Vnde & Apostolus ait: Præterit enim figura mundi huius. Figura ergo præterit, non natura. Et S. Hieronymus in cap. 65. Isaie. *Nouos celos & nouam terram videbimus. Non dixit Petrus, alios celos & aliam terram, sed veteres & antiquos in melius commutatos.* In eadem sententia sunt plerique Patres Latini, & ferè Doctores Scholastici, & satis insinuat in Scriptura Psal. 148. *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.* id est, constituit vt cælum, sol, luna, stellæ, & aquæ cælestes permaneant in omnem æternitatem: hoc decreto suo sanxit, cuius dederet vis numquam desinet. & Ecclesiastæ 3. *Didici quod omnia opera que fecit Deus, perseverent in per-**

Augustinus.

Hieronym.

perpetuum. Nec obstat illud, Psalmi 101. *Ipsi (cæli) peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operatorium notabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* hoc enim intelligendum de interitu secundum externam speciem, non secundum substantiam, vt colligitur ex iisdem verbis: quia vestis & operimentum quod inuertitur, non mutatur substantiâ, sed specie externa. *Veterascent cælum temporibus*

Quomodo cæli veterascent.

148 *ibunt.* Renouatio itaque ista non consistit in mutatione essentia, sed status & qualitatum, (sicut renouatio corporis humani) ita vt planè aliud cælum & alia terra esse videatur. Nam primò cessabit motus cælorum, ac proinde vicissitudo diei ac noctis, hiemis & æstatis, ætus & frigoris, ortus & interitus; eritque semper eadem cæli & terræ facies, eadem serenitas & pulchritudo: aberunt nubes & venti, pluuia & grandines, niues & glacies. Deinde lux solis, lune, & astrorum minuscè augebitur iuxta illud Isaia 30. *Erit lux lune sicut lux solis, & lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum.* quem locum Doctores cum S. Hieronymo passim intelligunt ad litteram de hac innouatione, in qua lux lunæ futura sit instar lucis solaris quæ nunc est, & lux solis septuplo maior quàm sit, modò, vt indicant illa verba, *Sicut lux septem dierum.* quod non potest commodè intelligi, nisi de luce septem dierum in vnum collecta, seu de luce in septuplum aucta. Hinc orbès cælestes & elementa mirum in modum illustrabuntur, & planè aliam speciem induent. Credibile etiam est, innumeram stellarum multitudinem, quæ modò non apparet, tunc vi lucis illius apparituram, vt nouum in cælum exhibeat speciem: non enim lumen solis obfuscabit lumen stellarum, sed augebit, ita vt omnes reddat conspicuas. Nec obstat quòd modò illas obfuscare videatur: quia reuera non obfuscant eas in se, sed solùm nostro ad spectui propter imbecillitatem oculorum: magna enim lux ita implet & obruit sua specie oculorum aciem, vt minorem lucem videre nequeat: tunc autem vis oculorum erit ita valida, vt à magna luce non obruatur, sed simul cum ea plurimas paruas luces distinctè cernere queat. Simili modo sonus magnus (qualis est campanæ propinquæ) ita implet nunc aures, vt simul paruos sonos audire nequeant; tunc autem poterunt.

Matth. 24.

Erit alia facies rerum, ita vt omnia videantur noua.

Stella innumera apparerunt.

Quo modo nunc lumen maius obfuscet lumen minus.

Aqua putatur futura limpida instar purissimi crystalli, terra fulgida instar auri, vel perspicua instar vitri; idque valde profundè, nimirum vsque prope tartarum, vt insinuat S. Thomas in 4. dist. 48. quest. 2. artic. 4. Denique omnia per hanc inuolutionem eam pulchritudinem assequentur, quæ respondeat gloriæ sanctorum, seruata tamen proportione inter ipsa corpora: quò enim sublimiora sunt, eò maiore gloria decet ea vestiri.

CAPVT XXIV.

De Inferno & pœnis inferorum.

INFERNUM vocamus locum damnatorum, in quo pœnas pro suis peccatis in corpore & anima sunt daturi. De quo tria nobis tractanda. Primò, vbi sit. Secundò, quanta eius amplitudo & capacitas. Tertio, quæ sint ibi pœnarum genera. De primo, certum est infernum esse sub terra. Est communis sententia Doctorum & Sanctorum, & communis fidelium sensus. Idem senserunt Philosophi antiqui & Poëta, qui huius rei meminerunt. Probat ex Scripturis, Numerorum 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, descenderuntque viui in infernum aperti humo.* Psalm. 105. *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.* Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* & ad Ephes. 4. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primò in inferiores partes terræ. vbi inferos vocat inferiores partes terræ, & κατὰ ἄνω μέρη τῆς γῆς.* Sunt ergo inferi, ad quos Dominus descendit, vt in Symbolo dicitur in imis terræ regionibus. Denique Matthæi 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* In corde terræ, id est, apud inferos, ad quos Dominus descendit, vt animas sanctorum Patrum inde eriperet. Idem luculentè, tradunt Patres. Tertullianus lib. De anima, cap. 55. *Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phaëone, quò omnes labe mundi alium sordium consuendo, & ibidem desidendo exhalent, &c. Nobis (Christianis) inferi non nuda canositas, nec subdiuina aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Explicat hic Tertullianus communem Christianorum sententiam, quam deinde probat ex dicto loco Matth. 12. *Siquidem, inquit, Chri-*

Christum in corde terra triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & in inferis adhuc, abyssis superstructo. Quod postremum addit, quia infernus damnatorum est infra Limbum patrum, ad quem Christus descendit. Hinc concludit: *Habes regionem inferum subterranam credere.* Idem in Apologetico cap. 47. *Si Zebennam comminemur, quæ est arcana ignis subterraneus ad pœnam thesaurus, & cinnamur.* Loquitur de Ethnicis, qui rident inferorum pœnas. S. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Ephes. *Inferiora terra infernus accipitur, ad quem Dominus noster Saluator, descendit, &c. Quod autem infernus in inferiori parte terra sit, & Psalmista testatur, dicens: Aperta est terra, & deuorauit Dathan, & operuit super congregationem Abiron, &c. Idem in cap. 2. Iona: Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terra esse perhibetur.* S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 24. In libro 12. Geneseos ad litteram cap. 33. *De inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur siue dicantur, quasi non ita sit.* Ibi determinat id de quo & in Genesi, & lib. 2. De ciuitate cap. 16. dubius fuerat. nec mirum dubium fuisse, cum certissimum putaret non esse antipodes, ut patet lib. 16. De Ciuitate c. 9. Chryso-
Hieronymus.
Augustinus.
Chrysoft.
infernus est in medio terra finis.
 stomus in Epist. ad Ephesios: *Descendit ad infimas partes, post quas non est aliquid aliud.* Omitto alios Patres & Doctores Scholasticos, qui indubitanter eandem sententiam tradunt. Idem ipsum nomen inferorum, & modus loquendi quo dicimur descendere ad inferos, indicant, & ratio manifesta conuincit: nusquam enim extra terram conuenienter poni potest. Aër enim & aqua non sunt idonea, in quibus carceres tenebrarum struantur, cum sint corpora fluxa, lucida, amica naturæ humanæ. Deinde, sicut domicilium Beatorum erit in supremo & nobilissimo loco, ita carcer damnatorum debet esse in infimo & ignobilissimo, ut longissimè absint à cælo. Unde ulterius sequi videtur, esse in centro mundi. Infimum enim terræ, est centrum mundi. Illi enim ponatur in centro, non aberit undique longissimè à cælo; quod tamen ipsa ratio potulare videtur. Quod non ita intelligas, quasi infernus sit in puncto isto, quod dicitur centrû: sed quod sit in medio terræ, ita ut centrum terræ & mundi sit centrum inferni. Idem aperte colligitur ex Patribus: nam Chrysostomus ait, *Christum descendisse ad infimas partes terra, post quas non est aliquid aliud.* Descendit ergo ad specum illum qui est in medio; nam post seu infra medium terræ nihil est aliud. Nec obstat quod

quod Christus non descenderit ad infernum damnatorum, sed ad Limbum patrum, qui *inferioribus abyssis*, id est inferno damnatorum, est *superstructus*, ut Tertullianus inquit, & communiter tradunt Scholastici Doctores: quia istae cavitates cum vicinæ sint, instar vnius reputantur, & communi nomine *inferi* vocantur, qui dicuntur esse in medio, ratione maioris & celebrioris partis. Idem colligitur ex testimonio Hieronymi in caput 2. Ionæ, qui dicit *infernum esse in medio terræ, sicut cor est in medio animalis*. atqui cor verè est in medio animalis, quantum fieri potest. Huic sententiæ etiam fauet modus loquendi Scripturæ, cum ait Christum fore *in corde terræ*, sicut Ionas in ventre ceti. atqui Ionas erat in infima cavitare ceti, ergo, &c. Item, cum descensum Christi opponit adscensui per extremos terminos: nam Christus ita ascendit super omnia, ut congruè ulterius non posset: ergo ita descendit infra omnia, ut ulterius non posset. Denique nulla est ratio in contrarium quæ virgeat. Iuxta hanc sententiam cogitandum est, terram in sui medio habere vastissimam cavitatem, cuius centrum sit centrum terræ & mundi, & hanc cavitatem esse carcerem infernalem.

Quanta inferorum capacitas.

Habemus ubi sit infernus; nunc dicendum de eius capacitate. 150
Certum est hanc debere esse tantam, ut possit capere innumerabilem multitudinem damnatorum, quæ facta supputatione hominum qui simul viuunt in mundo, & habita consideratione sexaginta sæculorum, quibus mundus putatur duraturus, facile ascendit ad vices vel tricies mille milliones: quæ sanè multitudo exiguo loco concludi nequit, præsertim cum ibi quoque sit magna copia ignis sulphurei, ut infra ostendemus. Ribera in caput 14. Apoc. putat amplitudinem inferorum insinuari istis verbis: *Et misit Angelus falconem suam acutam in terram, & vindemiat vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra civitatem, & exiit sanguis de lacu usque ad franos equorum per stadia mille sexcenta.* *Lacus iræ Dei magnus*, est infernus, vel stagnum infernale ignis & sulphuris, cuius fit mentio Apoc. c. 19. v. 21. & c. 20. v. 9. & 14. *Vna* sunt peccatores, qui ibi tanquam *vna* in torculari prementur & torquèduntur. vnde Apocalypscos 19. v. 17. infernus vocatur *torcular vini iræ Dei omnipotentis*. Quare nullo modo probanda explicatio illius, qui per *vna* intelligit sanctos Martyres; & per *lacum iræ Dei magnus*, tormenta quæ tyranni eis inferebant. *Sanguis* designat tormenta impiorum apud inferos. *Diffusio sanguinis* per stadia mille sexcenta non videtur aliud posse significare, quam spacium

Sententia Ribera de magnitudine inferni.

tium loci, per quod tormenta & homines torquendi se extendent. Conficiunt autem ista stadia milliaria Italica (quæ mille passus seu quinque millia pedum continent) ducenta: leucas Hispanicas seu Belgicas quinquaginta, assignatis quaternis milliariibus in singulas leucas. Vnde structura inferorum iuxta Riberam ita concipienda erit, vt cogitemus infra terram esse vastissimam cauitatem, cuius planities seu solum ita extendatur, vt latitudinis eius diameter sit centum leucarum, ambitus trecentarum, in cuius medio sit stagnum amplum ac profundissimum igne & sulphure plenum, in quod maximi quique peccatores, vt hæresiarchæ, hæresum propagatores, tyranni, & alij similes sint demergendi: reliqui vtrò qui paucioribus peccatis inquinati, sint futura extra hoc stagnum circumquaque per totam illam planitiem horridam dispositi. Hoc modo concipit Ribera. Sed habet hic modus nonnulla incommoda. Primò, Quia si tanta sit vastitas inferorum, vt planities eius habeat quadringenta milliaria Italica in diametro, seu vt à puncto eius medio quaquauersum in omnem partem sint ducenta milliaria Italica, siue quinquaginta leucæ magnæ, non erit multò minor Italia. At frustra tribuitur ei tanta vastitas, cum minimè sit necessaria, nam vigesima pars huius spatij sufficit, etiamsi duplo plures essent damnati. nam valde credibile est, eos non ita disponèdos per illa loca, vt possint pedibus insistere, & huc illucque discurrere; sed colligendos in cumulum instar carbonum vel lignorum ardentium, vt Scriptura indicat: quo posito, non erit opus tanto spatio. Secundò, Quia angustia carceris & compressio mutua reorum non parum facit ad pœnarum acerbicatem, sicut econtrà latitudo ad mitigationem: atque omnia ibi erunt acerbissima. Tertiò, Quia si tantam habeat planitiem (quantumuis ea sit aspera, & plurimis fossis ac hiatibus interrupta) non erit in medio nec in corde terræ, sed valde procul à medio distabit, nec longissimè ab erit vndeque à cælo, cum tamen contrarium magis videatur. Scripturæ & rationi consonum, vt supra ostensum. Denique, cum terræ elementum natura sua sit solidum & infimum, credibile est, Deum in ea non maiores fecisse vacuitates & cauitates æternas, quam sit necesse ad finem ipsi propositum. Adde, stagnum ignis & sulphuris complecti totum infernum: nam Apoc. 8. v. 15. dicitur de omnibus reprobis: *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem vers. 14. dicitur de diabolo.

Ob has & alias rationes probabilius videtur, infernum non habere

Scriptura
inferorum.
iuxta Riberam.

Non est
tanta vastitas.

bere solum seu planitiem, in quo damnati possint ambulare vel consistere; sed esse cavitatem in medio terræ (sicut supra diximus) in cuius cavitatis medio sit stagnum sulphuris ardentis, cuius sapè mentionem facit Scriptura, ita ut centrum stagni, centrum inferni, & centrum terræ sit vnum idemque; sulphureo illo stagno circa centrum se in orbem colligente.

Quod ad magnitudinem illius cavitatis attinet, etiam si diame- 151
ter eius esset solum vnus leucæ seu quatuor milliarij Italicorum, hoc est pedum viginti millium, satis capax esset, non solum ad omnia damnatorum corpora excipienda, sed etiam ad multitudinem decuplè maiorem: nam etiam si singulis corporibus damnatorum demus sex pedes quadratos (qui abundè sufficiunt) tamen vna leuca (id est mensura viginti milliurū pedū) cubicata seu cubicè multiplicata, capere poterit plusquam octingenta millia millionum corporum: cum tamen certum vidèatur, facta subductione, non futuros centies mille millones. Itaque tanta cavitatis abundè sufficeret corporibus damnatorum, & adhuc superesset magna vacuitas. Verum quia ibi quoque ingens stagnum ignis & sulphuris, & dæmones omnes ignitis corporibus includentur, fortasse erit capacior. Sit ergo diameter duarum leucarum, seu octo milliarij Italicorum, tunc superficies concava terræ ambiens infernum erit sex leucarum. Vnde facilè poterit cavitatis inferni in medio sui continere stagnum, cuius profunditas sit vndique vnus mediæ leucæ, quanta vix vsquam est profunditas maris, & supererit adhuc mediæ leucæ vacua inter concavam superficiem terræ, & superficiem stagni. Sanè hoc spatium sufficiens erit, etiam si multitudo damnatorum centuplo maior foret. Vnde credibile est spatium inferorum minus fore. Nec obstat locus Apocalypsis: quia illi mille sexcenta stadia referri possunt ad spatium, quod impij occupabunt tempore Iudicij, quando pœna aeterna per sententiam Iudicis illis irrogabitur. tantum enim spatium satis erit ad tricies mille millones hominum in terræ solo consistentium excipiendos, vt ex supputatione constat. Hæc de loci amplitudine.

Stagnū ignis
& sulphuris
apud inferos.

Duplex pœna,
sensus & damni.

Nunè dicendum de pœnis & instrumentis pœnarum. Porro 153
Doctores duplicem pœnam in damnatos statuunt, sensus & damni. Pœnam sensus vocant eam, quæ à causis extrinsecis infertur, vt à loci conditione, ab igne, sulphure, tenebris, odore terribissimo, horribilo planctu, dæmonum immanitate. Omnes isti dolores & afflictiones ab istis causis immediatè provenientes, siue in corpore, siue
in

in natura spiritali, ad pœnam sensus pertinent. Similiter tristitia animi immensa, quæ ex consideratione istorum malorum nascetur, dum assidue cogitabunt ista fore æterna, nec ullam esse spem aliquando euadendi. *Pœna damni* dicitur priuatio æternæ gloriæ & omnium bonorum quibus Beati in æternum fruuntur. Prius dicemus de ijs quæ ad pœnam sensus pertinent, postea de pœna damni. Vnde primò quaeritur, Vtrum ibi sit verus ignis. Secundo, Vtrum frigus. Tertio, Vtrum veri vermes corporales. Quarto, Vtrum tenebræ, fumus, fletus, stridor dentium. Quinto, Quomodo damnati sint dispositi apud inferos.

Quod ad Primum attinet, Calvinus, Beza, & multi Calvinistæ putant ibi non esse verum ignem, aut sulphur, aut tenebras, sed hæc omnia & alia quæ in Scripturis dicuntur de pœnis inferorum, Metaphoricè accipienda, & nihil aliud designare, quàm miserum statum impiorum; quorum miseriam totam in eo ponunt, quod apprehendant Deum sibi iratum. Hanc apprehensionem mire verbis exaggerant, vocantes eam maximè formidabilem abyssum, vt aliquid videantur dicere, eam in re ipsa inferos & veram pœnam impiorum è medio tollant, & nihil relinquunt nisi vanam apprehensionem & panicos terrores. Si enim Deus nihil ipsis mali infert, parum curant ipsius iram, nec habent cur inde perturbentur aut timorem concipiant; sicut in hac vita non curarent iram ipsius, nisi putarent illum graua posse inferre supplicia, eaquæ re ipsa illaturum nisi respiscant. Verum hanc eorù hæresim fusè refutat Franciscus Feuardentius lib. 14. Theomachia Calvinistica, à c. 9. vsque ad finem.

Horum ergo relicto errore, dicendum, certum esse ibi fore verum & corporalem ignem: vbiq; enim Scriptura sacra de pœnis inferorum loquens, meminit ignis, ignem inculcat & minatur, & in ipsa sententia iudicis, pœna ignis exprimitur, quod apertum est signum, esse verum ignem: quando enim aliquid Metaphoricè dicitur, non semper eodem modo exprimitur, nec iisdem verbis, sed quod vno loco dicitur per Metaphoram, alibi proprijs exprimitur verbis. Deinde, hoc igne corpora sunt vrenda; nulla ergo est ratio, cur non de vero & corporali igne loca Scripturæ intelligantur. Probat hęc sententia ex Scripturis: Matth. 25. *Disceditis à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Dices: Diabolus est incorporeus, ergo ignis qui ipsi paratus est, debet esse incorporeus. Respondo, Negando consequentiam, quia non datur aliqua substantia incorporea instituta ad vrendos

Tristitia ad pœnam sensus pertinet, & quodam modo ad pœnam damni.

Quingve dubia expli- cantur.

Sententia Caluini & Beza. An ibi sit verus ignis.

Esse ignem corporeum.

Probat ex nouo Testamento.

spiritus, sicut datur ignis corporeus ad vrenda corpora. Omnis enim substantia hoc ipso, quo est incorporea, est intelligens, & naturæ Angelicæ. Ignis autem corporeus etiam ad puniendos spiritus est aptissimus, quia diuinitus potest ibi spiritus alligari & pati dolores ex eius præsentia, sicut anima dum est in corpore, ut infra dicemus. Vnde merito ignis corporeus etiam demonibus præparatus est. Confirmatur: Quia homines qui in illum mittentur, corpore constabunt, ac proinde ipse quoque ignis corporeus esse debet; ignis enim incorporeus corporibus non congruit. Sic Matthæi 3. dicitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & infra: Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* rursus Matth. 13. Dominus id ipsum confirmat, adhibita duplici parabola. Primò, zizaniorum. Sicut, inquit, colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. ibi erit fletus & stridor dentium. Per scandala intelliguntur omnes illi, qui aliis sunt causa peccandi, vel imperio, ut Tyranni, vel doctrina, ut hæretici, vel consilio, ut mali consiliarij, vel exemplo, ut illi qui suo facto alios ad malum excitant vel animant. Per eos qui operantur iniquitatem, intelliguntur ceteri peccatores qui non aliis, sed sibi tantum causa peccati fuere: hi omnes tamquam zizania in fasciculos collecti, in ignem æternum mittentur. Secundò, id ipsum confirmat proposita parabola saginæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis. Sicut enim piscatores, pertracta sagena in littus, seligunt bonos pisces à malis, & bonos colligunt in vasa, malos abiciunt: sic erit, inquit, in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Marci 9. Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam, honum est tibi debile introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Idem repetit bis, agens de pede & oculo. Gehennam explicat per ignem inextinguibilem; & statim repetit, Vbi ignis eorum non extinguitur, ut intelligamus esse verum ignem, qui numquam possit extingui, sed semper ardeat & urat. Addit in fine: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* ubi insinuat rationem cur peccatores igne cremandi sint. sicut enim omnis victima, quæ Domino secundum præscriptum Legis offe-

offerebatur, sale aspergenda, grat & salienda, iuxta illud Leuit. 2. versu 13. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*: ita omnes peccatores, cum sint futuri veluti victima quæ iustitiæ diuinæ sacrificabitur, igne veluti sale condiendi & saliendi erunt. Comparat peccatores victimæ, & ignem sali: multis enim locis Scriptura sacra punitionem impiorum vocat sacrificium & victimam. Isaia 34. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Ieremix 46. *Victima enim Domini exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphraten.* Ezechielis 39. *Conuenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël.* Sicut enim victimæ occiduntur & cremantur in honorem Dei ad peccata expianda, & iram diuinam placandam: ita tota iniquorum multitudo æterno igne cremabitur, & Deo quodammodo sacrificabitur, vt eorum peccata suppliciiis, quantum fas est, expientur, & ira diuina hac quasi satisfactione conquiescat. Rectè etiam ignis comparatur sali: sicut enim sal vim quamdam igneam habet teste S. Hilario, qua vrit & conseruat

Can. 5. in
Matthæum.

156 Eiusdem ignis, sæpè mentio fit in veteri Testamento. De æterno
nomij 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Loquitur de igne qui succendetur in die iudicii, quando Dominus furorẽ suum contra peccatores declarabit: (præteritum enim accipitur pro futuro, in ore Prophetico,) qui ignis non solum terram & montium fundamenta comburet, sed etiam peccatores inuoluet, & ardebit vsque ad inferni nouissima, seu vsque ad voraginem inferiorẽ, vt habent Hebræa, *חַדְשֵׁי הַיָּמִים הַבָּאִים* Had sceol tachthih. Ex quibus manifestum est, ignem quo mundus exuretur & quo impij in inferno cruciabuntur, esse eiusdem rationis. Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt uran-*

Confirmatur
ex veteri
Testamento.

tur, & sentiant usque ad sempiternum. Similis locus est Ecclesiastici 7. Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis. Psal. 10. Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. & Psal. 20. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Sensus est: Eo tempore quo Dominus irasam suam declarabit, hoc est in die Iudicij, omnes inimicos suos igne inuoluet, ita vt ipii instar clibani ardeant, & mox eos ad inferos præcipitabit, vbi aeterno igne inuoluentur. *Conturbabit eos.* **וַיִּרְבֵּץ** *Ieballechem, deglutiet eos.* dicitur Dominus deglutire suos inimicos, quia faciet vt à terra deglutiantur. Hieronymus vertit, *præcipitabit eos*, quod idem est. *Et deuorabit eos ignis:* non quidem sic vt pereant, sed vt ab igne vniuersique inuoluantur, & absorpti ab igne videantur. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deiciet eos, in miseris non subsistent. In miseris non subsistent.* Hebr. במהמרות בל יקמו *Bemahamoroth bal iacumu, id est. In foueas profundas ne resurgant.* & ita quoque vertit Hieronymus. vbi indicatur, ignem in quem deiciuntur, esse in profundissima fouea, è qua nemo possit emigrare, quæ est ipse infernus. Isaia 30. *Preparata est ab heri Topheth à rege preparata, profunda, & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Hæc sententia à S. Hieronymo & veteribus intelligitur de loco inferorù, qui à Deo summo Rege & Iudice iam olim preparatus est diabolo & omnibus ei adhaerentibus. Hic locus & profundus est, vtpote in terræ visceribus; & dilatatus, vt tot corporum sit capax. *Nutrimenta eius ignis,* nempe *sulphureus,* quem locus iste intra sua viscera continet, & *ligna multa,* damnatorum corpora, quæ instar lignorum aridorum ardebunt. Peccatores enim in Scriptura vocantur *ligna arida.* Si quæras qua vi ignis iste succendetur, responderet Prophetæ, *Flatus Domini tamquam torrens sulphuris succendens eam.* id est, vis diuina perinde Topheth seu gehennam succendet, ac si torrens sulphuris ardentis in eam isifunderetur. Idem aperte docet Tertullianus locis suprâ notatis, & S. Augustinus lib. 2. 1. De Ciuit. cap. 10. etsi dubitet de illa flamma, de qua Lucæ 16. dicitur, *Crucior in hac flamma:* tamen absolute definit, ignem infernum esse corporeum. *At gehenna,* inquit, *quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.* S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 29. *Ignem gehenna corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Nec obitat quodd

Ezech. 17, 24

Marci 11, 20

Lucæ 23, 31

Tertullianus

Augustinus.

Gregorius.

quòd idem Gregorius lib. 19. Moral. cap. 14. dicere videatur, *ignem gehenna esse incorporeum*. Est enim error Typographicus, omiſſa negatione, ita enim legendum: *At ignis gehenna, cum non ſit incorporeus, &c.* Vt bene notaui Feuardentius lib. 14. Theomachia Caluinistica cap. 13. idque manifeſtum eſt tum ex ipſius contextus diſcurſu, tum ex eo quòd dicat hunc ignem exurere reprobos corporaliter. Opponit autem hunc ignem noſtro igni; quòd nollet cum corporeus ſit, debeat aſſidue foueri nouis fomentis appoſitis; ille verò, eſſi non ſit incorporeus, non debeat foueri, ſed ſemel ab initio conditus, durat inextinguibilis. Denique eadem eſt omnium Scholaſticorum ſententia. Neque diſſentit Damascenus, cum lib. 4. De fide orthodoxa cap. vltimo ait, *impios & peccatores proyiciendos in ignem æternum non materiale, qualis eſt apud nos, ſed qualem nouit Deus*, vt bene notaui Chelthoueus, & D. Thomas in 4. d. 44. q. 3. artic. 2. ad 1. non enim eſt *materialis, qualis eſt apud nos*; quia non eget aſſidue noua materia qua alatur, nec conſumit corpora quæ vrit, nec lucet, nec extingui poteſt. Si Damascenus putaret eſſe incorporeum, diceret eſſe *ἀσώματον*, & *ἄσπρον*, vel abſolute *ἄυλον*. Denique cum impios corpore indutos velit in hunc ignem conijci, non potuit ſentire eſſe incorporeum: quomodo enim corpora conijci poſſunt in ignem incorporeum, & ab illo vri ac torqueri? Ex his aliſque locis plurimum Scripturæ ſacræ, tum ſanctorum Patrum, luce meridiana clarius eſt, Primò, apud Inferos eſſe verum ignem corporeum, qualis eſt apud nos, (eſſi alias quaſdam proprietates diuina virtute ſit habiturus) quo impii cruciabuntur. Secundo, Ibidem quoque eſſe ſulphur & ignem ſulphureum, patet Pſal. 10. Iſaia 30. Apocalypſis 14. 20. & 21. Idem confirmatur ex eo, quòd Sodoma & finitimæ ciuitates igne ſulphureo ſint ſubuerſæ, Genef. 19. de quibus ait S. Iudas, quòd *ignis æterni pœnam ſuſtinentes, facti ſint exemplum orbi*; manifeſte indicans, ignem ſulphureum eſſe æternum: loquitur enim de pœna, quæ toti mundo fuit conſpicua, quæ æterna non fuit, ſed ignis ſulphureus, cuius pœnam ipſi ſuſtinebant, æternus eſt, quamuis non idem numero. Eſt etiam ſulphur aptiſſimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam qua facile & vehementer exardeſcit; tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum quia ſuffitu in expiationibus domorum ſulphur adhiberi ſolet, v. inquit Plinius lib. 35. c. 15. Inquinarunt peccatores domos ſuas, nempe animam & carnem ſuam,

Esse ignem sulphureum.

Sulphur aptissimum supplicio impiorum.

suam, peccando dum viverent. Vnde conueniens est, vt Deus igne sulphureo hæc domos, quantum fas est, expiet, & quodammodo sanctificet. Supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis & purgationis. Huius quoque rei signum est, quod infinita vis sulphuris partim semper ardentis partim non ardentis sub terra lateat, vt ex thermis & montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est: nam & thermæ sulphur olent, & ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ diuinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, & sulphur olent. Hæc de igne & sulphure.

Verum apud
inferos sit
frigus.

Sequitur nunc, vt videamus vtrum ibi quoque sit frigus: multi enim tum ex antiquis tum ex recentioribus putant, ibi etiam esse asperissimum frigus, vt impij ex stagno ignis transferantur in stagnum niuis, & hinc vicissim rapiantur in stagnum ignis, idque perpetua quadam vicissitudine. Fundamentum huius sententiæ sunt ista verba Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, &*

Hierony.

vsque ad inferos peccatum illius. Ita sentit sanctus Hieronymus in c. 10. Matthæi, explicans illum versiculum: *Sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Duplicem, inquit, esse gehennam, nimirum ignis & frigoris, in Iob plenissime legimus.*

Beda.

Beda in Commentario illius loci Iob 24. *Quasi duas gehennas Iob dicere mihi videtur, ignis & frigoris, per quas diabolus, hereticus, & homo impius commutetur.* Hos duos secuti sunt multi alij, quos recen-

Pineda.
Augustinus.

senset Pineda in illum locum Iob, tribuitur etiam Augustino lib. De triplici habitaculo, vbi cap. 2. sic habetur: *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, ignis inextinguibilis.* Sed verisimilius est, librum illum non esse Augustini, cum non habeatur in Ind.ulo, & stylus valde discrepet, etli Auctor scripti pius & eruditus. Non solet Augustinus de huiusmodi arcanis ita absolute pronuntiare, præsertim Scripturis tam parum fauentibus. Contrarium

Non esse illi
frigus.

sententiam tenent plerique Theologi recentiores cum Dominico Soto in 4. d. 50. a. 4. & Abulensi q. 59. in cap. 25. Matthæi, quod probari potest Primò, Quia Scriptura nusquam, vbi de inferno agit, meminuit frigoris, sed tantum ignis. Secundo, Si stagnum niuis vel aquæ gelidæ apud inferos, cur diues Epulo, petit guttam aquæ ad refrigerandam linguam. Tertio, Illa vicissitudo non esset tormentum, sed solatium: quis enim in medio ignis constitutus, non aspiret ad stagnum aquæ riuales ad extinguendum ardorem? Etiam bestia, si ambustæ incendium euaserint, se in aquas comi-

Luc. 16.

ciunt,

ciunt, vt aliàs vidimus. Quatò, Frigus non habet vim torquendi, sicut calor, quia inducit stòporem, ita vt absque magno cruciatu inferat mortem, vt patet in illis qui frigore moriuntur. Quintò, Quomodo illud stagnum niuis vel aquæ immenso calore, qui ibi est, non incalescit? an fortè procul distat à stagno ignis? Quomodo tam infinita multitudo transfertur ab hoc in illud? Omitto alias rationes, quæ facile cuius rem attentè consideranti occurrent. Itaque verius puto, non esse ibi tale frigus. Ad locum Iob respondeo, iuxta nostram versionem esse imprecationem pœnæ temporalis in adulteros. *Maledicta, inquit, sit pars eius* (hereditas, possessio) *in terra, nec ambulet per viam vinearum*, sed in locis desertis procul ab omni amœnitate & fertilitate. *ad nimum calorem transeat ab aquis niuium*; vratur æstu & gelu, affligatur omnibus huius vitæ incommodis: & *vsque ad inferos peccatum illius*. pœna adulterij daret illi vsque ad sepulchrum, vel donec rapiatur ab inferno. Potest sic verti ex Hebræo: *Æstus & calor rapiunt aquas niuis, sepulchrum peccatores: & tunc sensus est: Sicut terra æstuans & calor absumunt aquas niuales, ita infernus eos qui peccauerunt.* Vide plura apud Pinedam.

*Explicatur
locus Iob.*

159 Tertio quæritur, Vtrum ibi sint vermes rodentes corpora damnatorum. Multi affirmant. quibus fauent aliquot Scripturæ loca. Iudith 16. *Dominus vindicabit in eis, in die Iudicij visitabit illos: dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Loquitur de inimicis populi Dei. Similis locus est Ecclesiastici 7. *Memento ire, quoniam non tardabit. Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Isaia ultimo: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Idem ter repetitur à Domino Marci 9. Sed probabilius est, non esse ibi vermes corporales qui rodant corpora; sed nomine vermis indicari conscientia morsum & perpetuam accusationem. Ita S. Hieronymus in caput vltimum Isaia, Ambrosius in c. 14. Luca in fine, D. Thomas in 4. d. 9. q. 2. a. 3. & alij passim DD. S. Augustinus lib. 2. 1. De Ciuitate cap. 9. fusè hanc rem discutens, vtramque partem censet probabilem, magis tamen propendet in nostram sententiam. Ratio cur non videantur ibi vermes corporei ponendi, est, quia cum omnis morsus bestiarum ad dolores ac morsus ignis sit lusus, vel parui momenti, non videtur operæpretium vilissimas bestiolas nouo miraculo facerè immortales in acerrimo igne, vt hominem crucient, præsertim cum morsus vermium sit exiguus,

*Vtrum ibi
sint vermes
corporei.*

*Hieronymus
Ambrosius.
S. Thomas.
Augustinus.*

guus, & molestiam potius adferat quàm acrem cruciatum. Vnde potius serpentes & dracones ponendi fuissent, si bestia aliquæ ibi ad cruciandos homines esse debebant. Verùm tantum tormentum adfert ignis sulphureus, præsertim in arcto conclusus, vt nihil vel à malleis & incudibus, vel à niue & glacie addi posse videatur. Accedit quòd, cum toties in Scriptura, dum agitur de pœnis impiorum, *ignis & vermis* coniungantur, necesse fit per *vermem* aliquid magni denotari, quod cum igne totum supplicium nobis exhibeat: hoc autem non est aliud quàm conscientia remorsus & accusatio, qui, vt notat S. Thomas rectè, dicitur *vermis*, quia nascitur de putredine peccati, & rodit animam, sicut vermis corporalis de putredine carnis, & rodit carnem. Hic in eo consistit, quòd assidue conscientia sua ipsos accusabit & condemnabit, quòd suis peccatis æternam gloriam, quam facillè potuissent obtinere, amiserint, & æterna supplicia incurrerint. Hinc geminus dolor, qui immensa quadam acerbitate cor eorum tamquam vermes infestissimi corrodet, nimirum, quòd sua stultitia tantum bonum neglexerint, & in tanta mala se præcipitauerint. Hæ accusationes seu cogitationes, & hi mœrores, vermes sunt acerbissimi, quorum morsus est præcipuum damnatorum tormentum: plus enim illos affligit apprehensio æternitatis tanti boni sua culpa amissi, & tanti supplicij contracti, quàm solitarius ignis. Itaque nisi per vermem duplex illa cogitatio & duplex dolor inde nascens intelligatur, non plenè à Domino Marci 9. nec vsquam alibi impiorum pœna descripta erit, sed præcipua pars omissa. Nec obstat, quòd hæ cogitationes sponte videantur sequi ex ipsa sententia damnationis, quia etiam si aliquo modo sponte sequantur, tamen nisi aliquid aliud accedat, non erunt ita perfectæ ac continuæ, nec ita assidua. Vnde Deus peculiari influxu facit, vt damnati clare & assidue ista apprehendant, nec mentem possint ab his cogitationibus euertere. quòd autem clarior est apprehensio, eò dolor erit maior, ac furor & rabies in seipos acrior. Ad testimonium Iudith respondet S. Thomas, *carnem* accipi pro anima: commodius dixisset, *carnem* phrasi Hebræa ibi accipi pro toto homine. Sensus est: Cum Dominus iudicabit orbem, & impij resurrexerint, dabit ignem & vermes in carnes eorum, id est, in ipsos carne indutos, vt vrantur igne, & sentiant vermium istorum morsum in sempiternum. Simili modo dicitur: *Vindicta carnis impij*, id est, ipsius impij carne induti, *ignis & vermis*. *Ignis* pro carne, *vermis* pro animo, cuius

Vermis est conscientia remorsus.

Vermis iste consistit in gemina cogitatione & gemino dolore.

S. Thomas.

Explicatur locus Ier. lib.

Ecl. 7.

cuius tamen dolor in carnem redundat, quia *spiritus tristis exsiccat ossa*. Simili phrasi Apostolus ad Corinthios dixit: *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugna, intus timores*. Vbi *timor* ponitur pro afflictione carnis, id est hominis in carne passibili constituti. Et alibi, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, id est, homo carne passibili indutus. Omitto alias quorundam expositiones.

160 Quartò, Vtrum ibi sint tenebræ & fumus, sicut & stridor dentium. Respondeo, hæc omnia ibi sine fine affluere. De *tenebris* habemus Iob 10. ubi infernum vocat *Terram miserie & tenebrarum, operam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat*. Ecclesiastici 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in sine illorum inferi, & tenebra, & pœna*. Matthæi 8. *Fily regni* (Iudæi increduli) *eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit sicutus & stridor dentium*. Hic infernus per tenebras exteriores denotatur. Idem repetitur Matthæi 22. & 25. Vocantur *exteriore*, quia sunt extra locum conuiuij, & totum regnum Sanctorum. 2. Petri 2. *Quibus caligo tenebrarum reseruat*. Loquitur de seductoribus. Merito priuantur omni luce corporali, qui lucem spiritalem & diuinam contempserunt. Nec obstat quòd ibi erit ignis: quia ignis sulphureus parum lucet, & ea ipsa lux non læta sed pallida & incertitia plena; *suòq; repercussu* (teste Plinio) *pallorem dirum presentibus suffundit*. Has tenebras augebit atra nebula seu fumus sulphureus, quo omnia erunt plenissima. Vnde Apocal. 14. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*. Idem repetitur Apocal. 19. non tamen assidue nouus fumus ascensus est, sicut apud nos, sed sicut materia eius, nempe sulphur, numquam consumetur; ita nec fumus ipse, sed semper conferuabitur, & semper ascendet, & sursum tendet quantum poterit. Credibile etiam est, eodem fumo ingentes excitandos procellas, de quibus Psal. 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*. & in Epistola Iudæ, quibus *procella tenebrarum seruata est*, nempe cum sursum tendens, vndique à summis inferorum partibus repelletur. his vehementius exardescet ille ignis. Isa. 30. *Flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam*. Erit etiam ibi *sicutus*, gemitus, & ululatus immanis, absque tamen lacrymarum effusione, vt docet S. Thomas d. 50. q. 3. a. 3. quia non fiet humorum resolutio. cuius ratio est, non quia absque motu cæli, (qui tunc cessabit) nulla poterit fieri alteratio, vt ipse existimat: sed quia Deus non permittet corpora dissolui, vt semper patiantur.

De tenebris,
fumo, sicutu,
&c.

Tenebra ex-
teriore.

Lib. 35. c. 15.

S. Thomas.

queant. Neque ad fletum requiritur lacrymarum effusio, sed sufficit ea oris, oculorum, & totius vultus perturbatio ac dissolutio cum eiulatu & vociferatione, quæ in amarissimè & flentibus esse solent. *Fletus* iste index erit summæ tristitiæ, *stridor dentium* summi doloris, quem sentient ex igne. Sicut enim sunt duæ partes præcipuè afflictionis damnatorum, nempe summa tristitia animi, ex apprehensione tanti boni amissi & tanti mali contracti, & summus dolor corporalis, ex igne & aliis causis externis: ita quoque duplex est signum externum huius afflictionis, *fletus* & *dentium stridor*. Illa duo indicavit Dominus per *vermem* & *ignem*: hæc verò cum ait, *ibi erit fletus & stridor dentium*.

De fin & dispositione damnatorum.

Apoc. 10. Omnes erunt in stagno ignis & sulphuris.

Supereft vè aliquid dicamus de dispositione & situ damnatorum. Quidam ponunt ibi vastissima spacia, quæ ad multas leucarum centurias extendantur, per quæ damnati raptentur & discurrant. sed nihil opus est tanta loci amplitudine, vt supra ostensum: nam ex Apocalypsi constat, omnes mittendos in stagnum ignis sulphurei. sic enim ibi habetur: *Qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, nempe sulphurei, vt patet ex antecedentibus & sequentibus. Dicitur *stagnum* ratione materiæ liquidæ, nempe sulphuris liquati & ardentis. Itaque omnes erunt in hoc stagno. Idem patet ex cap. 21. vbi dicitur: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololâtris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda*. Hic omne genus peccatorum addicitur stagno sulphureo. quare cum multa millia millionum ibi futura sint, non poterunt in illo stagno seorsim disponi, (opus enim esset plusquam centum leucis:) sed necesse erit alios super alios coaceruari, sicut cum magna copia oisciculorum vel fabarum in ardenti oleo frigitur. hoc etiam est conueniens diuersitate peccatorum, vt quod quisque grauius peccauit, eò sit profundior in stagno, & grauiore prematur pondere incumbentium: quò minus grauius, eò minus sit depressus, & minori pondere grauetur. Idem confirmatur ex aliis Scripturæ locis. Ecclesiastici 21. *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis*. Collecta quia instar stuppæ in cumulum colligentur, & paterfamilias Matth. 13. iubet zizania colligi in fasciculos ad comburendum. Isa. 24. *Congregabuntur in congregatione vnus fascis in lacum: & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur*. Loquitur de damnatis, quos dicit in vnum colligendos, & instar vnus fascis

fascis in lacum inferni mittendos, vnde numquam sint exituri, sed quantumvis multum temporis accipias, adhuc eorum poenam (hoc enim designat illud *visitabuntur*) duraturam. Rursus Isaia 30. comparantur *lignis multis, seu aceruo ingenti lignorum ardentium*. Quod si hoc stagnum ponatur in centro, (quod supra verisimilius esse diximus) etiam ex hoc capite, necessarium erit alios super alios accumulari, quia nullum habebunt fundum cui assistant, vt bene notauit Sotus d. 45. a. 2. recteque illud stagnum dicitur *abyssus inferorum*, quia fundo carebit. De magnitudine huius stagni supra diximus, abunde satis magnum esse, si diameter sit vnius leucae seu 20000. pedum, sic enim ambitus erit trium leucarum. Tale stagnum facile capiet omnia damnatorum corpora, ita vt omnia in stagno esse possint. tanto tamen corporum accessu non parum vndique intumescet, dilatabitur & eleuabitur, iuxta illud Isaia 5. *Dilatauit infernus animam suam*, id est seipsum vel stagnum suum, quod est veluti anima eius, vt pote praestantior pars, ac veluti medulla, & intima viscera. Totum hoc stagnum cum omnibus corporibus iniectis ardebit, eritque tota illa iniquorum congeries ardens tamquam victima Domino & holocaustum pro peccato, quod sacrificium numquam complebitur, sed semper peragetur coram Domino & omnibus Sanctis, sicut ipsum peccatum semper expiabitur, & numquam erit expiatum. Hinc non solum ignis foris applicabitur corporibus vt suo contactu cruciet, sed ipsa etiam corpora ardebunt, sicut in holocaustis fieri solet. Insinuat Isaia 30. *Nutrimenta eius (Topheth) ignis & ligna multa: sicut Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam. Ligna illa non sunt aliud quam corpora iniquorum, qui fuerunt ligna arida. Hinc peccatores comparantur arbori infructuosa excidendae & in ignem mittendae, & stipulae collectae, & fasciculis zizaniorum, quae omnia igni iniecta ardent. & Psal. 20. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, nimirum vt ardeant sicut ligna in clibano. Deurabit eos ignis. Omnia ista aperte indicant ipsos arduros instar materiae quae accenditur. Vnde stagnum sulphuris ardentis non tam erit necessarium vt igne torqueantur, quam vt in poenis suis sepeliantur, iuxta illud, *Sepultus est diues in inferno*. ita vt nullum eis possit extrinsecus accedere refrigerium, nec possint aliquid leuaminis accipere a libera respiratione vel clamore, qui in magnis tormentis naturaliter adhiberi solet ad doloris aliquantulum solatium. Huc referri potest, quod Regum 2. in Cantico Annae dicitur: *Impij in**

Magnitudo
huius stagni.

Mat. 3. & 7.
Lucæ 3.
Eccli. 21.
Matth. 23.

Lucæ 6.

tenebris conticescent. quod intellige de ijs, qui profundius demersi erunt: qui enim saltem capite extabunt, clamare poterunt, quales forte erunt, qui minus grauius peccarunt. Quod si omnes ita demergantur, vt nullus supernè extet, compescuntur omnes clamores, & omnes blasphemiarum vocales, eritque ibi magnum silentium: quod non parum augebit ipsorum tormentum, dolore intus faciente, nec valente per vocem erumpere. Hæc de pœna sensus.

Pœna damni. Pœna damni consistet in priuatione æternæ gloriæ, & omnium bonorum ac gaudiorum quibus Beati fruuntur, vel quæ aliquo modo possidebunt. Damnum hoc duplici ratione est infinitum; tum quia est amissio boni infiniti, tum quia durabit in infinitum. Hinc sequetur immensa quædam tristitia, quam ex consideratione tanti damni concipient. Sicut enim gaudium quod Beati ex possessione sempiterna tantorum bonorum percipient, erit ineffabile, ita tristitia quam damnati percipient ex æterna priuatione eorundem bonorum, ineffabilis erit, ad cuius augmentum non parum faciet ea consideratio, quod illa bona facile potuerint obtinere, & sua culpa amiserint.

Triplex afflictio in damnatis. Itaque generatim triplex erit afflictio in damnatis. Primò, Erunt summi dolores sensuum, totiusque corporis interioris & exterioris. Secundò, Erit summa animi tristitia ex consideratione tantorum malorum in quæ inciderunt. Tertiò, Erit summa tristitia ex consideratione bonorum quæ amiserunt, supra omnem autem modum affliget illos consideratio æternitatis, & quod nullo vquam tempore horum malorum erit finis, vel aliqua saltem mitigatio. Hinc sequetur desperatio, furor, & maledictio, qua & seipsos, quod sibi tantorum malorum causa fuerint, & Deum qui ipsos condidit, & parentes qui genuerunt, & dæmones qui seduxerunt, & socios qui allexerunt, & omnem creaturam maledicent.

Consideratio æternitatis maximè augebit tristitiam.

CAPVT XXV.

De pœnarum æternitate, & quâ ratione iuste pro vno peccato mortifero Deus infligat pœnas æternas.

Quatuor articuli Fidei maximè difficles.

QUATVOR sunt mysteria nostræ sanctissimæ fidei maximè difficles: creditu menti humanæ; mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & æternitatis suppliciorum. Vnde plurimæ circa hæc fuerunt, & adhuc sunt hæreses. Quam ob causam diuina quoque

quoque providentia curavit ea maximè confirmari & stabiliri, partim testimonii Scripturarum, partim definitionibus Conciliorum, partim miraculis & sanctitate vitæ eorum qui hæc dogmata propagarunt. Verùm, omissis cæteris, agamus de pœnarum aternitate. Hanc negant omnes athei, & qui animam mortalem faciunt, quorum plerique etiam sunt athei. Verùm hi omnes pœnas quæ post hanc vitam infligantur, è medio tollunt, cùm tollant eum qui infligat, vel cui infligantur. Negant quædam Anabaptistarum sectæ, ut quidam Auctores de illis scripserunt. Ethnicis etiam, quando ad fidem conuertendi, valdè difficilis est creditu. Valdè enim videtur abhorrere à recta ratione, & à benignitate ac misericordia Dei, propter peccatum quod momento transit, infligere pœnas aternas adeo atroces. Negavit olim Origenes, & docuit, omnes animas impiorum & demones post aliquot sæcula liberandos, & Angelicæ luci ac felicitati restituendos: nimirum quando per ignem & supplicia inferorum plenè fuerint expiati. Verùm hanc felicitatem putabat non fore perpetuam; sed rursus post aliquot sæcula in miseriam commutandam, longo enim sæculorum decursu fore ut tædio diuinæ contemplationis affecti, peccato se contaminent, ob quæ rursus detrudantur in corpora; in quibus si iniquè vixerint, demergendos in ignem tartari; quo expiati, rursus cælo & diuinæ contemplationi restituantur. Hanc vicissitudinem felicitatis & miseriarum in omni creatura rationali statuebat aternam, ita ut infinites eadem animarum, & iidem demones sint futuri nunc beati, nunc miseri. Refert S. Hieronymus Epistola ad Pammachium contra errores Ioannis Ierosolymitani, & S. Augustinus De Hæresibus cap. 43. & alij Patres.

Multa absurda continet hæc doctrina, quæ non est huiusmodi operosè refutare: tuert enim fundamentum religionis Christianæ, & omnes diuinas promissiones: eneruat & ad nihilum redigit pretium Sanguinis Christi, & omnia salutis nostræ remedia. si enim aeterno quodam circulo voluemur per miseriam & felicitatem, & numquam planè liberi erimus à tyrannide peccati, quid magni nobis Christus per suam passionem contulit: quid magni nobis post hanc vitam expectandum? nam etiam cùm videbimur aliquid felicitatis habere in cælo, erimus verè miseri expectatione futuri lapsus & malorum impendentium. Sanè longè melius & optabilius erat numquam extitisse in rerum natura, quàm semper tyrannidi peccati & tantis malis esse obnoxium & expositum.

Denique,

Bulengerus
lib. 2. contra
Anabaptistas
cap. 15.

Origenis error de aeterno circulo felicitatis & miseriarum.

Refutatur.

Denique; si circulus iste Origenis admittatur, concedendum erit, Christum debere infinitis pati, ut animæ quæ de nouo in corpora relegatæ fuerunt, redimantur; infinitis quæque futuram resurrectionem, & Iudicium vniuersale. Omnia alia absurda, quæ hæc sententia secum trahit.

*Pœnas im-
piorum fore
æternas.*

Nunc breuiter ex Scripturis ostendamus has pœnas sempiternas ¹⁶⁴ posse, nec vllam vilo vniquam tempore sperandam liberationem. Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant vsque in sempiternum.* Psal. 48. *Introibit vsque in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen.* semper erit in tenebris & afflictione, nullam percipiet vniquam consolationem. Psal. 91. *Nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ, decreta tua de hominibus, &c. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Cùm exorti fuerint peccatores sicut fennum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum Domine.* quali dicat: Tunc apparebit consilium tuum, & cogitationes tuæ, nempe quod omnia condideris & sic constitueris, ut impij æterno supplicio, iusti æterna donentur gloria. Isaia 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* quæ verba ter repetuntur à Domino Marci 9. Ex quibus perspicuum est, cùm in alijs locis ignis dicitur æternus, vel supplicium æternum, id æternum non posse accipi pro longissimo aliquo tempore finito, ut volebat Origenes, sicut interdum accipitur in Scripturis: sed de vera æternitate, quæ nullum habet finem. *Vermis enim qui non morietur, in æternum viuet, & numquam finem habebit: & ignis qui non extinguetur, siue qui inextinguibilis est (ut Marcus habet) sine fine ardebit.* Daniel. 12. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere & uigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium ut videant semper. Ut videant, id est ut sentiant, experiantur, sustineant opprobrium æternum.* Matth. 3. *Paleas comburet igitur inextinguibili.* & cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. & infra: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Sic ergo supplicium inhorum erit æternum, sicut vita horum erit æterna. Atqui vita iustorum erit proprie æterna, ita ut nullum vniquam finem habeat, ut patet tum ex Symbolo, in quo credimus *vitam æternam*; tum ex plurimis Scripturæ locis, quibus prædium iustorum dicitur *hereditas incorruptibilis, immarcescibilis, æterna; ubi non erit amplius mors aut luctus, &c.* similia. Ergo supplicium iniquorum erit proprie æternum, ita ut numquam sit

1. Petri 1, 4.
2. Cor. 5, 1.
Apo. 21, 4.

ter-

terminandum . 2. ad Theſſalon. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Denique Apoc. 14. *Si quis adoraverit beſtiam, (id eſt, Si quis conſenſerit Antichriſto, vel præcurſoribus eius hæreticis) cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni, & ſumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habent requiem die ac nocte.* Omitto alia loca plurima. Eandem veritatem tradunt omnes Patres: nec quidquam ferè eſt, quod æquè vel in Scripturis vel in Patribus inculcetur, atque præmiorum & pœnarum poſt hanc vitam æternitas.

165 Verùm difficile videtur intellectu, qua ratione tanta pœna iuſte peccato mortifero respondeat. Vnde, variæ adferuntur huius rei cauſæ. Prima eſt, quia etſi actus peccati re ipſa brevis fuerit & citò tranſierit, affectu tamen peccantis fuit æternus: vellet enim peccans, (ſi fieri poſſet) ſemper in ſuauitate & oblectatione, quam peccando percipit, permanere. ita S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 44. *Vellet, inquit, ſine ſine viuere, vt poſſet ſine ſine peccare: diſtinctus autem Iudex corda penſat & affectus, non facta.* Ad magnam erga iuſtitiam iudicantis pertinet, vt numquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato. Hæc ratio continet bonam & utilem congruentiam, non tamen ſatisfacit intellectui, quia multi peccant, qui talem affectum non habent, ſed ſolùm ad breue tempus cupiunt oblectationem vel commodum ex peccato, cum propoſito abſtinendi in poſterum. Nec reſert, quòd ſi ſemper eadem circumſtantia manerent, ſemper vellent peccare: quia ſicut re ipſa eadem circumſtantia non manent, ita neque re ipſa talem voluntatem habent, neque ea de re cogitant. Deinde, etiam ſi in omnibus qui peccant aſſet talis affectus, quo cuperent ſemper viuere, vt ſemper poſſent voluptatibus peccatorum frui, (qui ſanè eſt in multis,) hæc tamen affectus eſt inefficax, neque poteſt æquari affectui æterno, aut peccatis que æterno tempore committerentur, ac proinde ex hoc capite non poteſt mereri pœnam æternam. Vnde alij DD. cauſam huius referunt in naturam peccati mortalis, quod tollit principium vitæ ſpiritualis, nempe charitatem, & infert mortem animæ. Vnde ſequitur, eſſe irreparabile, & conſequenter, mereri pœnam æternam. Ita S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 3. quem ſequuntur multi alij. Cuius rationis vis conſiſtit in eo, quòd omne peccatum mereatur puniri, donec ſufficiens pro eo exhibeatur ſatisfac-

*Qua ratione
peccati mor-
tiferum me-
reatur pœ-
nam æternam.*

ctio; vel donec peccator reparet ordinem quem peccando violauit, conuertendo se per charitatem ad Deum, à quo se auertit. Atqui is qui peccauit mortiferè, nullo vñquam tempore potest exhibere sufficientem satisfactionem, nec potest instaurare ordinem quem violauit. Ergo meretur puniri sine fine. Hæc ratio probabilis est, habet tamen non modicam difficultatem: quia etiamsi rectè crimen puniatur, donec reus plenam exhibeat satisfactionem, quando eam exhibere potest, & non vult, eò quòd tunc peccatum suum liberè continuet, & sit contumax: tamen nulla ratio vel æquitas postulat vt semper puniatur, quando nullo modo potest satisfacere, vel iniuriam damnũve illatum compensare. Quis enim dicat, eum qui commisit furtũ, vel mutilauit aliquem membro, debere tamdiu flagellari & torquẽri, quamdiu non sarcit damnũ, cũ non sit in eius potestate illud sarcire?

Propter peccata quæ committuntur in inferno, non continuatur pœna.

Pices: Dammati semper peccant, & numquam abstinẽt à peccando, ergo merentur semper puniri. Respondeo: Etiamsi semper peccent, non tamen punientur ob illa peccata, cũ sint extra statum merendi & demerendi; sed solũ puniuntur propter actum peccati quem fecerunt in vita, quem vellent se numquam fecisse, & vehementer de eo dolent, quatenus tantorum malorum ipsis causa extitit, & si possent, omnibus modis cuperent pro eo satisfactionem iustam exhibere. Quòd autem semper peccent, id prouenit ex desperatione, quia sciunt se numquam liberandos: ac proinde iam supponitur pœna æterna propter solum actum præteritum decreta. Quidam vtuntur hac ratione, qua putant perspicuè concludere: Omnis pœna infligitur propter culpam; ergo tamdiu durare debet pœna, quamdiu perseverat culpa: atqui culpa post hanc vitam numquam remittitur in inferno, ibi enĩ nulla est penitentiã; ergo nec pœna finiri debet. Verũ nequã hæc ratio satisfacit; nulla enim æquitas postulat, vt reus tamdiu puniatur, quamdiu non redipitur in gratiam, vt patet in rebus humanis, ex quibus philosophari debemus de diuinis: nõ enim tanto tempore punitur reus, quia manet in culpa habituali, quam non potest delere; sed quia per actum suum meruit tamdiu puniri. potest autem pœna peccato debita exhaustri & finem habere, etiamsi ipse maneat despectus & vilis in Republica. Neque dubium est, quin Deus possit aliquod peccatum non mortiferum condignè punire, etiamsi culpa seu macula peccati non condonetur, vt quando veniale coniungitur cum peccato mortifero. Pari modo nulla æquitas postulat,

lat, ut quia Deus non statuit dare gratiam damnatis qua poenitentiam agant, idcirco debeant in aeternum puniri: non enim ideo puniuntur in aeternum, quia non agunt poenitentiam, aut quia Deus non statuit illis dare auxilium; sed ideo non statuit eis dare auxilium, quia eorum peccatum quod olim fecerunt, postulat aeternam poenam; & consequenter, ut in perpetuum eis denegetur auxilium, quo salubriter possint poenitere.

- 167 Itaque fatendum est, ipsum peccatum per se tantam poenam mereri, non quia deleri non potest, sed quia per se tantam malitiam continet, ut aeterna castigatio secundum legem iustitiae ei respondeat. Quod confirmatur, Quia peccatum mortiferum per se meretur aliquam poenam, quae illi ex aequo respondeat; & talis poena à Deo cognoscitur. haec autem vel est finita, vel infinita. Non finita, quia alioquin aliquando foret exhaurienda; & quidquid ulterius poenae irrogaretur, esset supra condignum, & excederet limites iustitiae. Ergo infinita: ac proinde ipsum peccatum secundum se, & ratione propriae malitiae, praecisa consideratione illa, an sit delebile an indolebile, meretur poenam infinitam duratione. Quod ut melius intelligatur, explicandum est capite sequenti, in quo consistat malitia peccati.

*Peccatum
mortiferum
per se mere-
tur poenam
aeternam.*

CAPVT XXVI.

In quo consistat malitia peccati, & quo modo mereatur poenam infinitam, seu aeternam.

- 168 QVOD ad priorem partem attinet, communior Doctorum sententia est, malitiam peccati consistere in quadam priuatione, idque ob duas potissimum causas. Primum, quia hoc sancti Patres passim insinuant. Secundò, quia si malitia consisteret in aliquo positivo, Deus esset auctor peccati, quod dictu nefas. Verum id diuersis modis explicatur, praesertim à recentioribus, adeo ut quinque vel sex modi explicandi & sententiae reperiantur: non enim conveniunt, nec in assignanda bonitate illa, in cuius priuatione consistat malitia peccati, nec in subiecto in quo immediate sit illa priuatio, nec in modo explicandi illam priuationem: nam multi dicunt non esse priuationem, sed negationem.

Primus modus explicandi est eorum, qui dicunt, malitiam peccati commissionis (de hoc enim hic agitur) consistere in priuatione

*Varij modi
explicandi
hanc senten-
tiam.*

Q 99 2

tionem

tione rectitudinis debitæ inesse ipsi actui, qui peccatum dicitur: verbi gratia, malitiam furti consistere in eo; quod iste actus accipiendi alienum careat rectitudine iustitiæ; malitiam fornicationis in eo, quod careat rectitudine temperantiæ seu castitatis. Vnde bonitatem, in cuius priuatione seu absentia consistit malitia, ponunt in honestate virtutis oppositæ, subiectum autem huius priuationis statuunt ipsum actum.

Secundus modus est eorum, qui priuationem illius bonitatis ponunt non immediatè in ipso actu peccati, sed in voluntate volente operari circa tale obiectum; vt idèd furtum sit malum, quia priuatio hominem bonitate iustitiæ.

Tertius modus est eorum, qui non constituunt malitiam peccati in priuatione honestatis oppositæ, sed in priuatione conformitatis cum lege diuina: & hanc priuationem collocant immediatè in ipso actu peccati. Iuxta quam sententiam idèd furtum est malum, quia caret conformitate cum lege diuina *Non furaberis.*

Quartus modus est eorum, qui ponunt malitiam in carentia perfectionis necessariæ, vt actus sit conueniens subiecto.

Quintus modus est eorum, qui rem verbis adhuc magis inuoluunt, & dicunt, formale peccati commissionis consistere in sola exclusione perfectionis actualis bonitatis, quæ opposito actu virtutis inesse deberet ex vi præcepti negatiui prohibentis actum prauum.

Omnes hi modi explicandi mihi videntur alieni à mente SS. Patrum & S. Thomæ, & à veritate, quod sigillatim conabor ostendere. Vnde

Malitia peccati non est priuatio rectitudinis debita actui.

Dico primò, Malitia formalis peccati non est statuenda in priuatione rectitudinis, quæ debeat inesse actui. Probatur primò, Quia 169
nulla rectitudo debita est actui peccati, verbi gratia, volitioni furandi, mœchandi, occidendi, blasphemandi, odio Dei, &c. cum talis actus nullius rectitudinis sit capax: nulla enim ratione, nullæve potentia fieri potest, vt talis actus interior voluntatis (qui per se & immediatè peccatum est) rectè fiat, & ipsa malitia ita est illi intrinseca, vt posita libertate nullo modo possit ab eo separari. Hinc absentia talis rectitudinis considerata in actu non est priuatio boni, sed mera negatio. atqui ob negationem seu absentiam boni, cuius res non est capax, non potest dici mala, sed solùm minùs bona. Brutum enim non potest dici malum, quia caret bono rationis; nec dolor malus, quia caret bono voluptatis: sed solùm hac ratione possunt dici minùs bona.

Respon-

Respondent quidam, Etiam si nulla rectitudo sit debita isti actui, quatenus est talis speciei, & versatur circa tale obiectum in specie; debita tamen est illi quatenus consideratur in genere ut actus humanus & liber; ea enim ratione est capax rectitudinis, & priuationis oppositæ: ac proinde malitia eius poterit consistere in priuatione rectitudinis debitæ illi actui, ut est actus humanus. Sed contra, iste actus secundum nullum gradum in ipso existentem est capax rectitudinis, neque rectitudo virtutis illi gradui istius est debita, ac proinde non potest dici malus quod desit ei rectitudo debita. Nec refert quod actui libero, quatenus liber est, debita sit rectitudo, quia hoc debitum non est in vilo actu particulari, sed in ipsa voluntate quæ tenetur & debet ponere rectitudinem in suis actibus: quod si non faciat, in ipso erit priuatio rectitudinis, non in actu.

*Responsio
quorum. am.*

Refutatur.

Secundo probatur: Si tota ratio malitiæ peccati consistit in priuatione rectitudinis quæ actui debebat inesse, ergo tota ratio cur malum Dei est malum, est, quia caret bono amoris diuini, seu honestate quæ est in amore diuino: & consequenter, is qui odit Deum, non plus peccat, quam qui non amat, cum debet amare. Non enim potest plus peccare, quam sit malitiæ in actu. atqui in actu tota malitia est absentia amoris, seu bonitatis quæ in amore cernitur: ergo odium Dei non poterit esse maius malum, quam sit absentia amoris. Numquam enim effectus formalis potest esse maior ipsâ formâ seu ratione formali à qua prouenit. atqui absurdum est dicere, odium Dei non esse maius malum quam sit defectus amoris; & voluntatem blasphemandi non esse maius peccatum, quam defectum laudandi.

Tertio, Idem probatur à simili in malis naturalibus: dolor enim non tantum dicitur malum animantis, quia caret bono voluptatis, sed etiam, & maxime, quia per se naturæ repugnat, eamque malè afficit. Longe enim alia sentitur afflictio, & aliter natura afficitur dum adest dolor, quam cum solum deest voluptas. Sicut longe aliud est, esse amarum, quam carere dulcedine; esse dolorificum, quam esse priuatiuum voluptatis. Idem dicendum de errore & similibus. Ergo pari modo etiam in malis moralibus, non solum est priuatio honestatis oppositæ, sed etiam positua, repugnantiæ, quæ rationi & naturæ rationali, ut liberè operanti, repugnet. Ob has rationes quidam fatentur, malitiam peccati non consistere in priuatione rectitudinis quæ debeat inesse ipsi actui, qui nullo modo est capax illius, sed dicunt, debere inesse ipsi operanti

Q 99 3 seu

seu voluntati: & hæc erat secunda sententia. Contra quam

170
 Dico secundò, Malitia peccati commissionis non consistit in
 priuatione rectitudinis, quæ debeat inesse ipsi operanti. Probatur
 primò: In operante numquam est priuatio rectitudinis debita, nisi
 quando tenetur bene operari. cum enim non tenetur bene ope-
 rari, non est illi debita vlla actualis rectitudo; ac proinde absentia
 illius non est priuatio, sed mera negatio. atqui omnia ferè peccata
 commissionis admittuntur extra illud punctum temporis quo est
 obligatio bene operandi; ergo illa vel non sunt peccata, vel eorum
 malitia non consistit in priuatione rectitudinis, quæ deberet inesse
 operanti. Secundò probatur, huc applicando rationem secundam
 supra positam. Hinc enim sequetur, odium Dei non esse malum,
 nisi quia ab homine excludit bonitatem actus amoris: nec maius
 peccatum esse, odisse Deum, quam non amare quando est aman-
 dus: quod manifestè falsum est & absurdum. Tertiò idem confir-
 matur ex iis quæ dicta sunt in tertia ratione. Dolor enim, error, &
 tristitia, dicuntur mala naturæ sentientis & intelligentis, non so-
 lum quia priuant eam voluptate, veritate & gaudio: sed etiam
 quia per se & natura sua repugnant naturæ rationali, eamque ma-
 le afficiunt. Idem ergo dicendum de malis moralibus: nulla enim
 est ratio, si in physicis detur malum positium, cur non etiam in
 actibus moralibus. Quarò, Priuare rectitudine debita subiecto,
 vel operanti, non est ratio formalis intrinseca actui malo, sed so-
 lum est quid extrinsecum, nempe effectus formalis secundarius;
 sicut priuatio frigoris in aqua non est quid intrinsecum calori, sed
 effectus eius secundarius, qui ipsi calori in eodem subiecto con-
 iungitur. Vnde sequitur, non ideò actum esse malum primariò,
 quia priuat bonitate virtutis; sed ideò priuare, quia malus est: ita
 vt prius sit actum esse malum, quam inducere in subiecto priua-
 tionem, cum priuatio sit effectus malitiæ eius. Confirmatur:
 Ideò enim actus peccati priuat bono virtutis, quia discorsuens
 seu repugnans rationi: atqui eadem est ratio cur sit malus prima-
 riò, nimirum quia repugnans rationi. ergo quia malus, priuat;
 non autem ideò primariò malus, quia priuat. Itaque ratio mali in
 actu est prior ratione priuationis, quæ est in subiecto: & consequen-
 ter non consistit primariò in illa priuatione, sed in aliquò alio.
 Dico primariò, quia non est negandum quin possit etiam dici ma-
 lus ratione huius priuationis quam inducit: rectè enim dicitur ma-
 lus, quod inducit priuationem boni. Sed hæc non est primaria &
 intima

intima eius malitia. Sicut dolor dici potest malus, quia priuat bono voluptatis: hæc tamen non est primaria eius malitia, nam per se est subiecto inconueniens, & malè illud afficit, vt experientia docet.

171 Quidam, vt defendant, malum etiam in naturalibus consistere solum in priuatione vel negatione, dicunt dolorem esse malum animalis non præcisè ratione suæ perfectionis positivæ, sed quia caret perfectione quæ necessaria est vt sit conueniens animali. Idem dicere debent de omnibus rebus, quæ per suam entitatem positivam alteri malæ dicuntur. Contra quam sententiam

Dico tertio: Tota malitia talium rerum, quæ alicui malæ dicuntur, non consistit in eo quòd careant perfectione necessaria vt eidem sint congruæ & conuenientes. Est contra quartam. Probat: *Non consistit in carentia conuenientia*

Quia alioquin maximus dolor non esset maius malum quàm minimus: nam vterque æquè caret perfectione quæ est necessaria, vt sit conueniens animali. Similiter vnus error non erit maius malum intellectus quàm alius, quia vnus non magis caret perfectione veritatis quàm alius, & hoc peccatum non erit maius illo, quia æquè caret perfectione virtutis, quæ necessaria vt actus sit conueniens.

loquor de peccatis quæ sunt contra eandem virtutem. Secundo,

Quia iudicio communi hominum numquam æstimatur magnitudo mali ex eo quòd illa res, quæ mala alteri dicitur, careat perfectione aliqua qua sit conueniens alteri, sed vel ex præstantia boni quo priuat, vel ex repugnantia quam habet cum subiecto, & afflictione quam infert, ergo tota malitia rei non consistit in carentia illius conuenientia.

Tertio, Longè maius malum est animanti, affligi doloribus, quàm carere qualitate aliqua vel bono positivo conuenientia; ac proinde malitia doloris non consistit in sola carentia perfectionis necessaria vt sit conueniens animanti, sed aliquid amplius addit. Confirmatur: Quia alioquin tota ratio mali

consisteret in eo, quòd est non esse bonum: idem enim est, careere perfectione per quam sit alteri conueniens, & non esse bonum.

atqui commune iudicium hominum id refutat. His adde, hanc carentiam perfectionis necessariæ vt res sit conueniens subiecto, esse meram negationem, quæ necessariò fundatur in aliqua ratione positiva, per quam repugnat ei esse conueniens: ac proinde malitia consistet in illa ratione positiva, quæ est fundamentum istius negationis, & prior ratione. Denique nihil potest dici malum ob negationem, sed solum minus bonum. Hæc ergo sententia vera esse non potest.

Dico

Non consistit
in privatione
conformita-
tis cum lege
divina.

Dico quartò: Malitia peccati non consistit primariò in privatione conformitatis cum lege divina. Est contra tertiam sententiam. Probatur primò? Actus peccati non est capax illius conformitatis; ergo non potest dici malus, quia privatus est hac conformitate: nihil enim potest dici malum ex eo quòd non habeat perfectionem, cuius non est capax; alioquin lapis erit malus, quia caret ratione, sensu, vita. Secundò, Conformitas cum lege divina in omnibus præceptis negatiuis consistit formaliter in negatione actus; nihil enim à nobis exigunt illa præcepta, quàm vt abstinemus ab opere malo, vt patet in præcepto *Non occides, Non furaberis, Non adores deum alienum, &c.* hæc enim per se præcisè non exigunt aliquem actum positivum, præsertim qui sit virtutis, sed solum omissionem operis vetiti: & per illam omissionem sumus sufficienter conformes legi prohibenti. Quo posito, sequitur, malitia peccati: commissionis consistere in privatione negationis: quia conformitas cum lege prohibente est negatio actus mali. atqui privatio negationis non fit formaliter nisi per aliquid positivum: ergo malitia peccati consistet in aliqua ratione positiva. Vnde hæc sententia seipsam elidit. Tertiò, In illa conformitate negatiua nihil est boni moralis, vt per se patet, quia *non furari, non occidere*, nihil habet boni moralis, cum sit mera negatio actus mali: ergo eius privatio & absentia non potest actum reddere formaliter malum. Denique quis dicat hominem idcirco solum malè facere occidendo, furando, blasphemando quia non est conformis legi divinae hæc prohibenti? vel quia non occidere, non furari, non blasphemare est bonum?

Si dicas, hanc conformitatem cum lege divina prohibente, non consistere præcisè in abstinendo ab opere malo, sed in voluntate abstinendi, in qua voluntate est bonum morale. Contra: Quia lex divina prohibens non requirit per se positivam voluntatem abstinendi, sed solum abstinendam operis mali; & quamvis sæpè talis voluntas interueniat, non est neesse vt sit moraliter bona: potest enim quis concipere voluntatem abstinendi ab opere malo propter aliquid indifferens, verbi gratia, ne incurrat periculum mortis vel infamiae, &c. & ita non erit in illo actu aliqua bonitas, cuius privatio actum peccati reddat malum.

Dico quintò: Ratio formalis peccati non consistit in sola caren-
tia rectitudinis debitæ ab operante. Hæc propositio parum differt à
secunda: sed quia à quibusdam modus loquendi nonnihil muta-
tus

tus est, idè eam sub hac forma proponimus. Probatur primò: Illa re-
 ctitudo debita ab operante, vel debita est illi actui qui dicitur ma-
 lus, vel sicui alteri. Non actui malo, quia hic non est capax recti-
 tudinis, ac proinde nulla re-ctitudo est ei debita. Non etiam alteri
 actui, quia hic actus non potest dici malus ex eo, quòd in alio actu
 teneor operari bene, & non operor: verbi gratia, Nemo dixerit me
 malè agere furando, quia careo re-ctitudine, quam teneor ponere in
 alio actu: vel malè agere blasphemando, quia careo re-ctitudine
 laudis diuinæ. Denique longe peius est odium Dei, blasphemia, &
 similia peccata positiua, quàm carentia re-ctitudinis debita ab ope-
 rante, nempe amoris & laudis diuinæ. His accedit, quòd perum-
 que dum quis peccat, nullam debeat ponere re-ctitudinem, hone-
 statem, aut virtutis actum, sed solum teneatur abstinere ab opere
 seu voluntate mala: ac proinde nulla sit in illo carentia re-ctitudinis
 debita, quæ reddat actum malum.

173. Dico sextò: Ratio formalis peccati commissionis non est posita
 in sola exclusione bonitatis actualis quæ opposito actui virtutis in-
 esse deberet ex vi præcepti negatiui prohibentis actum prauum.
 Est contra vltimum modum explicandi hanc negationem. Proba-
 tur primò: Quia ex vi præcepti negatiui prohibentis actum pra-
 uum, nulla debet inesse bonitas opposito actui virtutis, ergo mali-
 tia moralis non consistit in exclusione illius bonitatis. Consequen-
 tia est manifesta. Antecedens probatur: Nam præceptum negati-
 uum *Non furaberis, Non occides*, non postulat, vt actui qui furto
 vel homicidio opponitur, insit aliqua honestas virtutis, sed solum
 vt abstineas ab actu furti & homicidij, non curando quomodo
 actus oppositus fiat, siue ex affectu virtutis, siue ex affectu boni in-
 differentis, &c. Secundò, Bonitas actualis, quæ est in actu iustitiæ
 quo quis reddit alteri quod suum est, non inest illi ex vi præcepti
 negatiui prohibentis furtum, vel rei alienæ detentionem, sed ex vi
 proprii obiecti & affectu illius, vt per se notum est: neque etiam ex
 vi illius præcepti tenetur operans in se vel in suo actu aliquam
 actualem honestatem ponere, sed solum tenetur ab opere malo
 abstinere. Tertio, Si tota malitia actus praui consistat in sola exclu-
 sione actualis bonitatis virtutis oppositæ, ergo odium Dei non est
 maius malum, quàm defectus & absentia amoris: & blasphemia
 non est maius malum quàm absentia laudis, vt supra ostensum.
 Denique, Vel intelligenda est ista sententia de exclusione bonita-
 tis actualis ab actu peccati, vel ab ipso operante. Neutrum dici po-
 test;

test; ergo, &c. Non prius; quia actus peccati non est capax bonitatis actualis. Non posterius; quia inde sequeretur, odisse Deum non esse maius malum quam non amare.

Duplex malum, naturæ & moris.

His refutatis, explicanda est vera sententia. Pro qua notandum 174 est, duplex esse malum, naturæ & moris. Malum naturæ seu naturale est, quod naturæ, ut rationem naturæ habet, est dissentaneum, eam malè afficit, vel etiam tollit, siue sit quid priuatiuum, ut cæcitas, surditas, ignorantia, mors; siue quid positiuum, ut dolor, tristitia, error. Et quamuis potissimum locum habeat in natura sentiente & rationali, quæ bonum & malum suum sentire potest; tamen etiam suo modo in sensu carentibus & rebus inanimis reperitur. Est enim malum & bonum plantarum, gemmarum, terrarum, & similibus, non solum quatenus considerantur ut veniunt in usum hominum, sed etiam secundum propriam speciem. Bonum enim cuique rei censetur, quod illi conueniens est, eamque secundum conditionem naturæ suæ perficit; malum, quod illi repugnat, vel dissentaneum est naturæ, eamque malè afficit.

Malum moris dicitur, quod est dissentaneum naturæ rationali, quatenus est agens liberum, seu quod est contra regulam rectæ rationis: ut sunt omnia peccata, siue commissionis, siue omissionis.

Ex quibus patet, quod sicut in genere mali naturæ reperitur malum positiuum & priuatiuum, ita etiam in genere mali moris, aded ut in hæc duo membra ex æquo diuidatur. Sicut enim ratio boni consistit in eo quod est esse alicui conueniens; ita ratio mali in eo quod est, esse disconueniens. Potest autem aliquid esse disconueniens dupliciter. Primò, tamquam priuatio boni debiti, sicut cæcitas, surditas, &c. Secundò, tamquam quid positiuè repugnans naturæ, eamque contra naturam disponens & afficiens, ut dolor, error, qualitatum exuberantia. Idem cernitur in malo moris: potest enim dupliciter quid esse disconueniens homini ratione utitur; nimirum per modum puræ priuationis, scilicet omissionis operationis quando deberet quis operari, est quod disconueniens; & per modum positiuæ operationis, ut sunt omnia peccata commissionis.

Notandum secundò, Malum tam naturæ quam moris rursus 175 duplex esse: aliud enim est purum malum absque vlla admixtione boni, ut quævis priuatio boni debiti naturæ, vel operationi seu agenti libero; ut cæcitas, surditas, infirmitas, ommissio boni operis præcepti: hæc enim etiam necessariò sunt connexa rei bonæ, nempe subiecto quod per se bonum est; tamen in se nihil boni habent, & mala

mala sunt, quia subiecto sunt disconuenientia, & illud suo modo male afficiunt, dum formaliter ipsius bonum tollunt. Nulla vero negatio malum censendum est: quia etsi nihil boni in se habeat, tamen quia nulli bono est disconueniens, quasi male afficiens illud, & priuans bono debito, reuera malum non est, sed solum non bonum. Sicut carere ratione, non est malum bruto, quia non priuat illud vlllo bono, quod ipsi sit conueniens, sed est naturalis ipsius conditio. Multo minus aliquod ens positium potest esse purum malum: qua in re scede hallucinati sunt Manichæi, qui ponebant duo regna, & duo rerum principia, nempe regnum seu terram lucis cum suis elementis & principibus, qui omnes erant per se suamque substantiam boni: & regnum seu terram tenebrarum cum suis elementis & principibus tenebrarum, qui omnes per se suamque substantiam erant mali. Ex horum conflictu factam esse commixtionem lucis & tenebrarum, & sic conditam mundum. Hôs variis locis refutat S. Augustinus tom. 6. & alij sancti Patres, ostendentes omnem substantiam esse per se bonam; & malum nihil esse aliud, nisi priuationem & absentiam boni, vbi loquuntur de puro malo, ad mentem Manichæorum.

Manichæorum error.

August. hæretic. 46. & contra Epist. fundamenti, & lib. contra Fortunatum, Epiphanius hæretic. 66.

Aliud non est purum malum, sed dicitur malum, quia etsi in se aliquid boni sit, tamen alteri malum est, & male ipsum afficit. Sic dolor dicitur malum animantis, & tristitia, & error, quia quodlibet horum non solum impedit bonum subiecti, sed etiam per se est disconueniens, & prauè disponit subiectum. Simili modo calor potest dici malum aquæ, non solum quia excludit frigus, quod est eius bonum, utpote conueniens eius naturæ; sed etiam quia per suam entitatem positium, ei est disconueniens. Simili ratione omnis actio praua, etiam præcisâ libertate, mala dicitur, quia per se est disconueniens naturæ rationali, ita ut honeste fieri vel appeti nequeat, seclusâ ignorantia. Nec refert quod omnia ista in se aliquid boni habeant, & bona sint, quia quod in se bonum est per modum entis positium, potest esse malum alteri per eandem entitatem qua sibi bonum est. Est enim sibi & in se bonum, quatenus habet omnem perfectionem debitam sibi secundum suam speciem. Est malum alteri, quatenus per eandem perfectionem est alteri dissentaneum & repugnans, & male illum afficit.

Notandum tertio, Rationem & magnitudinem mali æstimari non solum ex bono quo priuat suum subiectum, vel ex repugnantiâ quam habet ad subiectum vel operantem; sed etiam ex damno vel



vel iniuria quam infert alteri, vt patet in peccatis iniustitiæ, & omnibus aliis quæ in alterum committuntur. His positis,

Malitia peccati non consistit in aliqua physica vel reali ratione.

Dico septimò: Etiam si actus prauus secundum suam entitatem 176
physicam sit aliquo modo malus, non tamen præcisè ratione illius entitatis est peccatum formaliter, ac proinde ratio formalis peccati non consistit in aliqua entitate vel ratione physica ipsius actus. Prior pars, quòd talis actus non solum ratione alicuius priuationis, sed etiam per se aliquo modo malus sit, est communis sententia DD. & patet ex dictis in secunda Notatione, & ex ipsa mali definitione, quod est, esse dissonum ac repugnans naturæ. Hinc talis actus per se dicitur malum & peccatum obiectiue, vel materialiter & fundamentaliter. Altera pars, quòd actus prauus ratione suæ entitatis præcisè non sit peccatum formale, neque habeat malitiam formalem peccati ratione cuius imputetur ad culpam, probatur: Quia si ille actus desinat esse liber, vel desinat consideratio rationis circa malitiam, etiam desinet esse peccatum, & tamen nulla realis mutatio facta erit in ipso actu. Esse enim liberum & non liberum in actu, sunt denominationis extrinsecæ à causa sic vel sic disposita, non solum in actibus externis, sed etiam internis ipsius voluntatis, vt modò suppono. Sicut rationem aduertere vel non aduertere quale illud sit quod voluntas vult, est extrinsecum actui voluntatis. Hinc manifestè sequitur, malitiam formalem peccati non consistere in aliquo positio physico. Et hoc potissimum est quod DD. intendunt, qui confugiunt ad priuationem, ne Deum faciant auctorem peccati.

Non consistit in aliqua relatione reali.

Dico octauò, Actus prauus non est etiam peccatum aut malus 177
moraliter ratione alicuius relationis vel ordinis realis, ac proinde malitia peccati non consistit in aliqua relatione reali. Probatur: Quia actus qui dicitur peccatum, siue sit interior voluntatis, siue exterior, ad tria comparari potest, ad quæ aliquam relationem habere videtur; nimirum, ad operantem, ad legem prohibentem, & ad obiectum. Ad nullum autem horum habet relationem realem. Non ad operantem, quia etiam si dependentia actus ab operante sit aliquis modus vel ordo aut relatio realis, tamen in hac præcisè non consistit formalis malitia peccati, sed in dependentia actus quatenus est liber & cognitus, quæ sunt denominationes extrinsecæ actui. Nulla autem relatio realis potest fundari in denominatione extrinsecæ, vt in eo quod est, esse cognitum, volitum, liberum, dextrum, sinistrum, &c. ratio enim fundandi extrinsecæ, vel ac-

Relatio realis non potest fundari in denominatione extrinsecæ.

accepta ab eo quod est extrinsecum fundamento, non potest in fundamento ponere, vel ei adferre relationem realem intrinsecam. Non enim ad legem prohibentem; quia esse prohibitum lege, est denominatio extrinsecum in actu: unde non potest fundare relationem realem in actu. Deinde ipsa ratio legis non est quid reale, sed rationis, nempe regula practica mente concepta. Unde repugnantia qua repugnat actus huic regulæ, non potest fundare relationem realem; præsertim cum actus possit incipere & desinere esse contra legem, absque vlla sui mutatione, sola mutatione facta in lege, vel in libertate voluntatis, vel in consideratione intellectus: ut si lex incipiat esse, vel si cum esset, abrogetur, actus adhuc durante. Si voluntas incipiat liberè influere in actum, vel cum antea liberè influeret, desinat liberè influere, actus continuato, &c. Denique non habet etiam actus relationem realem ad obiectum quatenus prauum est; quia quod obiectum sit prauum, plerumque provenit à quibusdam circumstantiis extrinsecis, quæ nihil ponunt in obiecto. Acceptio enim rei alienæ, etsi ordinem realem habeat ad rem illam quatenus est res expectanda, hac tamen ratione non est mala; sed solum est mala, quatenus est acceptio rei alienæ domino invito. atqui quod res sit aliena, aut quod dominus sit invitus, non est quiddam in ipsa re, sed solum denominatio extrinseca à iure & voluntate alterius: ac proinde in acceptione non est aliqua relatio realis ad rem ut aliena est. Idem cernitur in actu fornicationis, adulterij, contumeliæ, blasphemiæ, &c. quæ enim hæc femina sit soluta, vel alteri iuncta matrimonio, nihil reale in illa ponit: ac proinde non potest in actu (quo ipsa cognoscitur voluptatis causa) esse ratio alicuius relationis realis. Malitia quoque contumeliæ & blasphemiæ fundatur in significatione verborum, quæ nihil reale ponit in verbis. Idem locum habet etiam in actibus internis, qui tendunt in obiecta sua quatenus sunt delectabilia vel utilia, non autem quatenus debitis circumstantiis carent. Unde ad illas nullum ordinem realem habent.

178 Hinc patet falli Caietanum 1. 2. q. 18. a. 5. dum putat, habitus & actus vitiorum tendere in obiectum formale contrarium obiecto formali virtutis, & ab eo accipere speciem positivam & realem physicè contrariam habitibus & actibus virtutum. Virtus enim tendit in suum obiectum, quatenus honestum seu consentaneum rectæ rationi: unde esse tali vel talis modo consonum rectæ rationi, est obiectum formale eius in qualibet materia, & in tendentia ad

Ordo actus ad obiectum quatenus prauum, non est realis.

Sententia Caietani refutatur.

tale obiectum, consistit bonitas moralis actus, supposita eius libertate; est que hæc tendentia, quid reale & physicam in actu, speciem ei tribuens simul moralem & physicam. Vitium verò non tendit in suum obiectum, quia inhonestum vel rationi dissonum, aut quia caret debitis circumstantiis; (imò optaret vitiosus totum esse rationi consonum, & abesse circumstantias pravas;) sed quia delectabile, vel utile, vel honorificum: & hinc accipit suam speciem physicam & realem, quæ consistit in reali ordine ad tale obiectum, ad circumstantias pravas, aut inhonestatem obiecti, vel quatenus ipsum rationi dissonum, non habet vllum ordinem realem; quare nec inde accipit aliquam speciem realem & physicam.

*Habitus vitij
& virtutis
habent repu-
gnantiam
moralem, non
physicam.*

Vnde manifestum est, habitum virtutis & vitij, verbi gratia, temperantiae & intemperantiae, non habere physicam repugnantiam; similiter nec actus: quia non tendunt physicè in obiecta formaliter contraria. Si tamen habitus & actus vitiorum considerentur secundum esse morale, quatenus subsunt libertati & considerationi seu regulæ rationis, sic habent repugnantiam cum virtute; quia tendunt in obiectum, quod spectatum cum illis circumstantiis, est reatæ rationi & obiecto virtutis contrarium, & ab illo sic spectato speciem moralem & malitiam accipiunt: quæ tamen species non est quid physicum in actu vel habitu, sed solum quid morale, proveniens ex interpretatiua tendentia in obiectum prauum, & in ipsam obiecti pravitatem. Hoc ipso enim quo sciens & volens fertur in obiectum prauum seu inhonestum, censetur velle inhonestatem & turpitudinem actus, etsi ipsam actu formali vellet abesse: & ratione huius tendentiæ habet speciem moralem, & consequenter malitiam, quæ in actibus internis voluntatis in hac tendentia constitui potest. idè enim mali sunt, quia in obiectum regulæ rationis repugnans feruntur: neque id sententiæ S. Thomæ repugnat, ut infra patebit. Hinc fit ut species moralis sit accidentaria speciei naturalium actus, tum habitus pravi: secus in actibus & habitibus bonis, ut dictum est. Ex his manifestum est, in actibus pravis non posse reperiri vllam relationem vel modum realem, in qua eius malitia formalis possit constitui.

*Consistit in
quodam pri-
uatione mo-
rali.*

Dico nonò: Formalis malitia peccati non consistit in aliqua pri-¹⁷⁹uatione propriè dicta, quæ sit in ipso actu, neque in aliquo reali positivo, sed in priuatione quadam morali, nempe in recessu à regulæ rationis, & in auersione à Deo. Prior pars constat ex refutatione aliarum sententiarum. Altera pars est apertè S. Tho-
mæ

mae 1. 2. q. 72. a. 1. *Ad rationem*, inquit, peccati duo concurrunt, actus & inordinatio eius, quae est per recessum à lege Dei. Vbi inordinationem posuit pro fortiali peccati, & hanc inordinationem statuit in recessu à lege Dei. & in Piesp. ad 2. Peccatum non est pura priuatio, sed actus debito ordine priuatus. & hanc priuationem in argumento, Sed contra, explicat per esse contra legem Dei. Idem clarè tradit quaestione 71. a. 6. Habet actus humanus quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cuiuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si diuertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humana est duplex; una propinqua & homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia verò est prima regula, scilicet lex aeterna, qua est quasi ratio Dei. Hic malitiam ponit in eo, quod est esse incommensuratum suae regulae; quod non fit solum per puram priuationem, quae non suscipit magis & minus, sed etiam per repugnantiam quamdam & contrarietatem. & in Responsione ad 5. explicat hanc priuationem per esse contra Deum, & contra legem aeternam: & contrarationem. Idem clarissime docet q. 87. a. 4. In peccato sunt duo, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum. Alterum est inordinata conuersio ad bonum commutabile, & ex hac parte est finitum. Hic malitiam peccati, quatenus mortale est, ponit in auersione à Deo: quae auersio non consistit in nuda priuatione proprie dicta, sed in recessu à Deo; qui recessus fit per actum positium habentem repugnantiam moralem contra legem diuinam, & ipsum Deum.

- 180 Quae sententia vt melius intelligatur, notandum est, sicut in rebus arte factis totum bonum consistit in conformitate operis cum regula artis, & totum malum in recessu ab hac regula: ita in moralibus totum bonum consistit in conformitate cum regula rationis, & lege aeterna, & totum malum in recessu ab hac regula. Hic recessus dicitur priuatio, non physica, sed moralis: quia cum homo deberet se conformare suae regulae in operando, vel saltem non facere contra illam; faciendo actum prauum, non conformat se illi, sed ab ea recedit. Porro multis modis ab aliqua regula in operando recedi potest: longè enim magis recedit à regula is qui positiuè facit contra illam, quàm qui solum priuatiuè se illi non accomodat, aliquid omittendo quod ipsa praescribit. Sicut qui odit Deum, longè magis recedit à Deo, & auertitur ab illo, quàm qui non amat cum deberet amare; qui blasphematur, magis quàm qui

Malum in moribus consistit in recessu à regula rationis.

Multis modis receditur à regula.

non

non laudat, &c. Itaque hæc priuatio suscipit magis & minus; ac proinde non omnia peccata contra eandem virtutem sunt æqualia & eiusdem speciei; quod tamen sequeretur, si malitia consisteret in priuatione propriè dicta honestatis contrariæ. Hoc ergo modo intelligendus est S. Thomas & sancti Patres, cum dicunt peccatum consistere in priuatione. ac de S. Thoma satis constat ex istis quæ ex ipso adduximus, & ex aliis locis plurimis.

Quod ad sanctos Patres attinet: S. Basilius in Constitut. monasticis cap. 3. *Vitium, ait, nihil est aliud quam virtutis desertio*, id est, recessus à regula rationis quæ virtutem præscribit. S. Augustinus lib. 2. De lib. arb. cap. ultimo. *Nulla ergo natura est que non sit à Deo: motus ergo ille auersionis (quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est) vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere non dubites*. Vocat peccatum motum auersionis & motum defectiuum, non quòd illi in sit aliqua priuatio propriè, sed quia per illum homo recedit & deficit à Deo eiusque amicitia, & motus ille inducit amicitie priuationem: omnis defectus dicitur esse ex nihilo; quia quòd res possit aliquo modo deficere à sua regula, vel à suo bono, hoc prouenit non ex aliqua qualitate vel conditione à Deo ipsi impressa, sicut quòd possit operari: sed ex eo quòd ipsa sit ex nihilo. S. Fulgentius lib. De fide ad Petrum cap. 21. *Malum nihil aliud est, nisi boni priuatio. unde geminum constat esse creaturæ rationalis malum: vnum quo voluntariè ipsa deficit à summo bono Creatore suo, alterum quo inuita punietur*. Vbi etiam pœnam iensus vocat priuationem, cum non sit propriè priuatio, sed quid positiuum cui priuatio annexa. Denique, quando peccatum definitur à S. Augustino *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, & ab Ambrosio *calestium inobedientia mandatorum, & diuini præuaricatio præcepti*, satis declaratur quomodo hæc priuatio sit intelligenda.

Malitia peccati explicatur à Patribus per priuationem qua est effectus peccati.

Noandum tamen est, SS. Patres malitiam peccati interdum explicare per priuationem boni, non quòd debeat inesse ipsi actui peccati, sed quòd debeat inesse homini operanti, quòdque per ipsum peccatum destruitur. Vnde declarat malitiam peccati ab effectu quem causat in anima, spoliando illam bonis quæ possidebat, vel habere debebat, nempe bonis habitibus & functionibus quibus Deo coniungebatur. Hic enim effectus est nobis notior, quàm intrinseca peccati malitia. Quòd enim peccatum priuet hominem gratia diuina, charitate, & coniunctione cum Deo, aliis-

aliisque virtutibus, & vita æterna, & reddat ineptum ad bonas operationes, facile intelligitur, & inde optimè æstimatur quantum malitiæ sit in peccato. Hoc modo intellige Dionysium, cum cap. 4. De diuinis nominibus p. 4. ait, *malum in demonibus & hominibus esse priuationem diuinorum bonorum, defectum habituum & operationum, prolapsum à naturalibus bonis.* id est, à bonis naturæ consentaneis. quamuis ipse non tam loquatur de malitia actus transeuntis, quàm de malo quod post actum remanet in subiecto, quod manifestè in priuationibus situm est. Eodem modo Vasquez exponit multos alios Patres. sed multi ex illis exponi possunt de priuatione, quæ consistit in recessu à virtute, vel lege diuina, vel ab ipso Deo, & statu gratiæ.

182 Notandum secundò, hanc auersionem vel inordinationem, quam dicimus esse formalem malitiæ peccati, non esse aliquam conditionem physicam seu realem intrinsecam ipsi entitati actus: quia actus potest acquirere & amittere hanc conditionem absque vlla sui intrinseca mutatione, per hoc quòd incipit vel desinit esse liber; vel quia ratio aduertit vel non aduertit esse contra regulam rationis, vel legem æternam, vt supra ostensum. quod est manifestum indicium, non esse quid reale aut physicam aliquam priuationem: hæc enim non potest accedere & recedere sine reali & intrinseca mutatione rei cui inesse corripitur. sed est quid morale, resultans in actu vel omissione actus, posita sufficiente libertate & rationis consideratione. Hoc ipso enim quo quis sciens & aduertens opus esse contra rectam rationem, vel legem diuinam, liberè illud vult, resultat in actu voluntatis illa ratio inordinationis & auersionis, ita vt nullo modo id possit impediri. Ex quibus perspicuum est, formale peccatum siue concipiatur per modum priuationis, siue per modum cuiusdam repugnantia moralis, non esse ens, nec quid creatum, sed *nihil*, vt rectè dixit S. Augustinus Tract. 1. in Joannem. *Peccatum, inquit, non per ipsum factum est, & manifestum est quia peccatum nihil est, & nihil sunt homines cum peccant.* quod tamen ipse non solum intelligit de ipsa formali malitiæ, sed etiam de toto actu peccati, quem dicit esse *nihil*, & non esse à Deo, idque explicat exemplo idoli, quod Apostolus dicit esse nihil in mundo.

Vbi aduertendum, secundum Augustinum, actum peccati, & ipsum motum voluntatis quo auertitur à Deo, dici *nihil* ob duas causas. Primò, quia etsi Deus concursu generali ad illum motum concurrat, ille tamen motus non est quid à Deo intentum aut

Non est aliqua conditio realis in actu

Malitiam esse formalem seu nihil.

Quare peccatum dicitur esse nihil Augustino.

procuratum; nec vires inferuit vt tales motus fierent: sed planè contra intentionem Dei fiunt ab homine. hinc negat talem motum esse à Deo. Idem aperte negat lib. 12. Confessionum cap. 11. & lib. De perfectione iustitiæ, Ratiocinatione 4. dicit, *talem motum qui peccatum dicitur, non esse rem, sed actum: & Deum qui est auctor omnis rei, non esse auctorem istius motus.* Secundò dicitur nihil, quia hominem facit nihil, nempe priuando illum omnibus meritis & vita diuina gratiæ, ita vt nihil apud Deum æstimetur, tamquam mortuus. Simili modo *idolum* dicitur *nihil* ab Apostolo, quia nullius est pretij & dignitatis in eo quod præ se fert, cum nihil hæbeat diuinitatis.

Peccati mortiferi malitia consistit in quadam iniuria in Deum.

Dico primò. Malitia formalis peccati non solum consistit in recessu à regula rationis, seu (quod hæc est) in repugnantia actus cum regula rectæ rationis, aut natura rationali, sed etiam in quadam iniuria quæ irrogatur Deo, quæ reperitur in omni peccato mortifero. Hæc est sententia S. Thomæ in omnibus locis quibus docet malitiam peccati mortiferi consistere in *voluntaria auersione à Deo*: hæc enim auersio ideò tantum malum est, quia est contemptus quidam Dei & vilipensio. vnde dicit S. Thomas, *peccatum ratione auersionis esse infinitum, & mereri pœnam infinitam.* Est etiam communis sententia DD. hoc tempore, qui ex hoc capite tribuunt peccato mortifero quendam infinitatem. Probatur primò de peccatis quæ directè sunt contra Deum. Nemo enim dixerit, totam malitiam blasphemix, odij Dei, idololatriæ, periurij, sacrilegij, consistere in eo quod isti actus sint dissoni naturæ rationali, vel eam dedecorent, & turpi labe afficiant; vel quia repugnant rationis regulæ: cum ex communi hominum iudicio ista censèantur grauissima peccata, eò quod contemptum vel iniuriam apertam in Deum contineant, ac proinde sint dissentanea Deo, vtpote eius honori & dignitati repugnantia. Deinde, quodlibet peccatum mortiferum non solum malum dicitur, quod naturæ rationali sit dissentaneum; sed maxime quia contemptum quemdam vel iniuriam Dei continet, non quidem semper expressum, & formalem, sicut blasphemia & odium; sed implicitam & interpretatiuam, quatenus per peccatum contemnitur lex diuina in re graui, & consequenter ipse legislator: sicut inter homines, si supremus Princeps sub pœna mortis prohiberet furtum vel adulterium, & ego eius in præsentia, ipsoque inspectante ista peccata committerem, communi hominum iudicio censerer contemnere

temnere auctoritatem Regiam & Regem ipsum, eiusque amicitiam & bona omnia quae promiserat, ei que iniuriam facere laedendo ipsius honorem, quatenus actus ille est signum contemptus & vilipensionis. Similis contemptus continetur in omni peccato mortifero. Confirmatur ex Scripturis: Quia omnis qui peccat, in Scriptura sacra dicitur *contemnere Deum*; & qui obedit Deo, dicitur ipsum *glorificare & honorare*. 1. Regum 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Hic omnes qui peccant, dicuntur *Deum contemnere*, quia violando ipsius mandata, censentur eum eiusque amicitiam & promissa omnia nihili facere. Leuit. 6. *Anima qua peccauerit, & contempserit Domino negauerit proximo depositum*. vbi peccatum explicatur per contemptum Dei. & cap. 26. *scilicet dicitur peccator spernere legem Dei, ambulare, id est, agere contra Deum, & aduersari Deo; irritum reddere eius pactum*. & Num. 15. *esse rebellis Deo*. 1. Regum 15. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare (Deo): & quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere*. vbi Samuel loquitur de omni peccato quo praecipuum diuinum violatur, & comparat peccatis quibus aperte fit iniuria Deo. Sicut enim ariolus relicto Deo consulit daemone, ei que tanquam Deo adhaeret; & idololatra honorem Dei transfert ad rem creatam: sic peccator relicto Deo eiusque amicitia & reuerentia ipsi debita, conuertit se ad rem creatam, eam hic & nunc praefert Deo. Denique passim in Scripturis peccator dicitur *se auertere à Deo, relinquere Deum, abijcere Deum eiusque leges, &c.* Ex quibus patet, secundum Scripturam sacram, malitiam peccati esse ponendam potissimum in ordine ad Deum, eamque consistere in hoc, quod Deus eiusque amicitia contemnatur, & honor eius atque auctoritas violetur. Hunc contemptum alij explicant per auersionem à Deo, ut dictum est.

Peccatum in
Scripturis
explicatur
per contem-
ptum Dei.

Itaque duplex in omni peccato mortifero malitia distingui potest, altera alteri subordinata, ut colligitur ex S. Thoma 1. 2. quaestione 71. a. 6. ad vltimum. & Caiet. ibidem, nempe, ex ordine ad operantem, seu quatenus est actus dissentaneus naturae rationali, eamque dedecorat; & in ordine ad Deum, quatenus est quidam contemptus & vilipensio Dei. Ex priori ordine non habet actus rationem peccati mortiferi, sed solum actus prauus in genere: ex altero vero habet rationem peccati mortiferi. Vnde in omni peccato mortifero reperitur: omnia enim in eo conueniunt, quod includant quemdam contemptum Dei; alia maiorem, alia minorem. in

In omni pec-
cato morti-
fero duplex
malitia.

quibusdam enim magis directe contemnitur Deus, ut in odio Dei, in blasphemia, in idololatria, in infidelitate, sacrilegio, periurio, violatione voti, desperatione, & similibus quæ magis directe sunt contra Dei honorem: in aliis solum indirecte & interpretatiue, quatenus violatur & contemnitur lex diuina in re graui, & consequenter ipse legislator, eiusque amicitia & promissa omnia, & minæ omnes.

*Si non esset
Deus, non
esset pecca-
tum morti-
ferum.*

Ex quibus sequitur primò, Si nullus esset Deus, nullum fore peccatum verè & proprie mortiferum, sed omnia fore venialia: quia carebunt illa malicia quæ spectatur in ordine ad Deum. imò eo posito, expressè contemnere Deum, non maius esset peccatum, quam contemnere chimæras vel res impossibiles. Vnde solum actus diceretur malus quatenus dedecorat operantem, & lædit proximum vel Rempubicam.

Dices: Ergo infideles qui non norunt Deum, non peccant mortiferè. Respondeo negando consequentiam: Quia etsi non norint Deum distinctè cognoscendo eum esse conditorem cæli & terræ, norunt tamen confuse & in genere esse aliquod Numen cui peccatum displiceat, quodque illud vindicet. hinc remorsus & occultum flagellum ob scelera patrata. Vnde apud omnes gentes sunt aliqui sacerdotes vel magi, qui peccata expiunt, & Numen placent. Quod si forte sunt aliqui adeò barbari ut nihil sciant de Numine; hi tamen possunt mortiferè peccare, quia ita in malum feruntur, ut etiam si scirent esse vnum Numen illud prohibens, nihilominus ex vi illius affectus malum patrarent. Vnde virtualis quidam contemptus Numinis in illoque affectu coninetur. Quò tamèn maiorem quis habet de Deo positam, eò ceteris paribus grauius peccat, iuxta sententiam Domini: *Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multus: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quod enim clarius cognoscit Dei maiestatem, eò etiam magis censetur eam contemnere dum eius præcepta violat.

Luc. 12.

Si Deus peccata non prohibuisset, nullum esset peccatum mortiferum.

Sequitur secundo, Nullum etiam fore peccatum mortiferum, si Deus peccata non prohibuisset, saltem per legem naturæ mentibus hominum insculptam. Si enim peccata non essent à Deo ita prohibita, ut homines intuitu Dei seu reuerentiæ diuinæ non tenerentur illa vitare, non censerentur Deum contemnere, vel iniuriam irrogare patrando peccata, sed solum naturam suam dedecorare, & contra rectam rationem agere. Verùm sicut impossibile est,

vt

vt actus liber rectæ rationi repugnans non sit prohibitus à Deo, ita etiam impossibile est, vt non sit peccatum mortiferum, si sit in re graui ab homine Deo aliquo modo cognoscente.

Dices: Furtum, adulterium, periurium, & similia quæ sunt contra legem naturæ, non ideò mala sunt, quia prohibita lege naturæ, sed ideò sunt prohibita quia mala: ideò enim ratio naturalis & lex æterna dicit illa esse fugienda quia in se mala sunt. Vnde prius est illa esse mala, quàm esse prohibita, & malitia præuenit prohibitionem: ergo etiam si fingamus non esse prohibita, retinebunt tamen suam malitiam. Respondeo, ante omnem prohibitionem considerari in illis quamdam malitiam obiectiuam & materialem, quatenus isti actus sunt dissoni naturæ rationali, ita vt non possint rectè appeti, nec rectè fieri ab eò qui ratione utitur. Potest etiam in illis considerari quædam malitia formalis, quatenus sunt ab aliquo liberè contra regulam rectæ rationis: hæc tamen per se non est mortifera, vt ostensum est. Vnde non potest in istis actibus considerari malitia mortifera, nisi sint contra legem diuinam, ita vt diuina auctoritas per illa ceusetur contemni, & homo à Deo auerti. quò fit vt prius sit actum esse prohibitum lege diuina, quàm esse formaliter peccatum mortale; cum peccatum mortale constituitur per legis diuinæ contemptum. Docet hoc apertè S. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. vbi dicit, *omne peccatum esse malum, quia prohibitum lege æterna.* quod intellige de malo formaliter: nam quòd sit malum obiectiuè vel materialiter, non habet ex vlla prohibitione extrinseca, sed ex intrinseco ordine ad naturam rationalem. & quæst. 87. a. 4. ponit malitiam peccati mortalis in auersione à Deo; quæ auersio nihil est nisi quidam Dei contemptus.

Prius est esse malū quàm prohibitum: non tamen prius est esse peccatū mortiferū, quàm esse prohibitum à Deo.

187 Sequitur tertio, Peccatum mortiferum continere malitiam infinitam, non quidem absolute & omnino, sed respectiuè. Docet hoc S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 4. vbi dicit, *Peccatum ex parte auersionis est infinitum.* Idem habet 3. q. 1. a. 2. ad 2. quem sequuntur plerique Doctores. Ratio est, Quia quòd maiestas quæ contemnitur est maior, eò offensio est grauior: atqui maiestas Dei quæ contemnitur peccato mortifero, est infinita; ergo offensio etiam quamdam infinitatem habet. Maior est per se clara, & constat ex rebus humanis: maior enim censetur iniuria, contemnere virū nobilem quàm plebeium, & Principem quàm nobilem, & summum Pontificem quàm Principem sæcularem. quò enim maior debetur reuerentia,

Continet peccatum mortiferum malitiam infinitam.

ed iniuria ceteris paribus est grauior. cum ergo Deo debeat ex parte sua reuerentia infinita, iniuria vel contemptus illius habebit malitiam quodammodo infinitam. Dico *quandam infinitatem habere*: quia non est absolute infinita in ratione malitiae, sicut meritum Christi in suo genere est infinitum: alioquin omnia peccata essent paria: sed vnum peccatum contineret malitiam omnium peccatorum, & singula tantum haberent malitiam, quantum omnia simul. Ratio vero cur illo argumento non concludatur absoluta infinitas in ratione malitiae, est, quia obiectum non attingitur adaequate, unde non adaequate influit in actum, nec tribuit ei plene suam infinitatem. Sicut enim Deus sine fine potest perfectius & perfectius amari, ita etiam per peccatum potest sine fine magis & magis contemni ac odio haberi. Hoc ipso tamen quo absolute censetur contemni, actus contrahit quandam infinitatem malitiae, utpote superioris ordinis, respectu omnium bonorum operum.

Cur malitia peccati non sit absolute infinita.

Est infinita comparatiue.

Malitia peccati mortiferi posita in lance diuina iustitia, praeponderat omnibus bonis operibus iustorum.

Vnde dico, hanc malitiam esse infinitam comparatiue seu respectiue; quia etsi non sit absolute & omni modo infinita, tamen adeo magna est, ut nullis bonis operibus purae creaturae, quantumuis multis & magnis, ex aequo compensari possit: tanta enim est peccati mortiferi malignitas, ut posita in lance diuinae iustitiae, praeponderet omnibus bonis operibus omnium Sanctorum, etiam si ea millies plura & maiora forent quam reuera sunt: quae consideratio est valde terribilis. Neque hoc incredibile videri debet, quia omnia bona opera quibus Deus honoratur a Sanctis, etsi in se considerata sint maximae aestimationis, & ipsi propterea sint digni vita aeterna, tamen respectu maiestatis diuinae sunt instar nihili: nulla enim gratia sit ei per ista omnia, cuius maiestati & beneficiis omnia ista sunt debita; nec ista solum, sed infinites cura & maiora. Itaque nihil magni omnia ista sunt Deo. At contemni a sua creatura, quae infinitis nominibus ipsi est obstricta, & quae infinitum amorem & honorem ei praestare deberet si posset, hoc maximi aestimatum, utpote maxime repugnans eius maiestati & beneficiis. Vnde plurius a Deo aestimatur in ratione mali, quam omnia opera bona in ratione boni; & magis Deum affligeret, si capax esset doloris, quam omnia bona opera exhilararent.

Simile cernitur inter homines: parui enim momenti est apud Regem quod a suis honoretur; neque id gratiam censet, sed debitum: sed grauissimè fert, si contemnatur, praesertim ab ijs quos maximis beneficiis affecit.

Hinc

Hinc docent sancti Patres, nullam puram creaturam Deo potuisse pro peccato humani generis condignè satisfacere, ac proinde necessarium fuisse adiutam satisfactionem, vt Deus fieret homo. Athanasius Orat. 2. cōtra Arianos: *Si Deus homo factus non fuisset, numquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissēmus, &c.* Augustinus in Enchir. cap. 108. cū antè dixisset non esse confidendum in homine, rationem adfert: *Nam neque per ipsum liberarēmur vnum Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset Deus.* Basilus in Psal. 48. explicans illum versic. *Frater non redimit, redimet homo; Non nudus, inquit, homo redimet, sed homo Deus Iesus Christus, qui solus potuit dignam redemptionem adferre.* Idem habet Ambrosius explicans eundem Psalmum. Commentarius Ambrosij in cap. 9. ad Hebræos: *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus aliquando, nisi vni genitus Filius Dei moreretur pro nobis.* Fulgentius lib. De Incarnatione & Gratia cap. 4. *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei, &c.* Leo Serm. 1. de Natiuitate: *Nisi esset Deus verus, non adferret remedium, nisi esset homo verus, non praberet exemplum.* & Serm. 12. de Passione: *Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla Sanctorum merita conditionem poterant illata mortis euincere, venit à celo medicus singularis, &c.* & Epist. 83. *Que reconciliatio esse poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei hominumq; susciperet?* idem docet plurimis aliis locis. Vide etiam Anselmum lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 20. & 21. & lib. 2. capite 6. Estque communis sensus non solum Doctorum, sed omnium Christianorum.

Nulla creatura potuit pro peccato mortifero aliq̄ne satisfacere.

189 Ex his potest adferri ratio cur peccatum mortiferum iure plectatur pena aeterna. Si enim tanta est eius malignitas, vt nullis bonis operibus puræ creaturæ potuerit ex æquo compensari, sed ad hoc necessarium fuit Deum incarnari, vt condigna satisfactio iustitiæ exhiberetur, mirum non est, si dicatur mereri penam aeternam. Quod enim ad eò malū est, vt nullis bonis quantumuis longo tempore continuati compensari & exæquari possit, meretur penam quouis tempore finito longiorem; ac proinde aeternam: Idque per se & directè, ratione malitiæ quæ est in actu; non autem quia peccator non potest pro eo satisfacere; aut se in eò ordine vnde excidit reponere, aut vitam spiritualem reparare, aut maculam delere. Et si enim hæc omnia concurrant in

Ratio cur pena aeterna debentur peccato mortifero.

pec-

peccato mortifero, ex his tamen non est petenda propria ratio cur ei debeatur poena æterna, sed ex ipsa malitia actus: ex qua etiam ista impotentia sequitur.

CAPVT XXVII.

Nonnullæ Obiectiones contra malitiam peccati diluuntur.

*Sententia
quorundam,
peccatum in
ratione mali
non esse magis
infinium
quàm sit a-
mor Dei in
ratione boni.*

SEQUITUR vt diluamus quasdam rationes quæ oppugnant ma-
litiæ peccati infinitatem. Quidam enim putant, peccatum mor-
tiferum non magis esse infinitum in malitia, quàm amor Dei &
contritio sunt infinita in bonitate: Omnia enim ista solùm esse in-
finita ex parte obiecti. Sicut enim peccatum dicitur quodammodò
infiniæ malitiæ, quia per illud contemnitur Deus, vel quia Deo
per illud fit iniuria; ita amor Dei dicitur esse infinitæ cuiusdam
bonitatis, quia tendit in Deum infinitæ bonitatis, volendo illi bo-
num infinitum. Imò amor videtur magis infinitus in bonitate,
quàm peccatum in malitia; quia directè totus tendit in Deum pro-
pter eius bonitatem infinitam, & directè vult illi bonum infinitum
quantum potest, nempe omne bonum intrinsecum & extrinse-
cum. At peccatum mortiferum (præsertim quod non versatur cir-
ca Deum) non contemnit directè Deum, nec vult illi aliquid mali;
sed solùm censetur homo per illud non curare Deum & eius le-
gem, & ita solùm interpretatiuè illum contemnere: ergo longè
magis infinitudo obiecti influet in actum amoris, illudque reddet
infiniæ bonitatis, quàm in actum peccati. Itaque si obiectum spe-
ctemus, non potest ex eo colligi magis infinitas malitiæ in pecca-
to, quàm bonitatis in amore: si verò spectemus vtriusque actus
meritum, peccatum etiam non superabit amorem, quia sicut pec-
catum meretur poenam æternam, ita amor æternam gloriam. &
ita vtriusque meritum est æquè infinitum. Pari modo, si specte-
mus effectum quem habent in hac vita, vt sunt contraria, pecca-
tum non superat amorem & contritionem: sicut enim peccatum,
dum iustus peccat, mortificat omnia bona opera, ita etiam amor
vel contritio, dum peccator conuertitur, delet penitus omnia pec-
cata, ita vt aumquam reuiuiscant. Confirmatur, Quia amor Dei
& contritio ex vi naturæ suæ delent omnia peccata mortifera, sicut
lux tollit tenebras; ita vt nec per diuinam potentiam hæc possint
simul

simul consistere: alioquin homo non fieret perfectè iustus per intrinsecam iustitiam (quod videtur repugnare Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7.) nam peccatum tolleretur non per formam intrinsecam, sed per extrinsecam condonationem: ergo per se & vi naturæ suæ compensat omnem peccati malitiam: ac proinde non minus boni est in amore, quàm mali in peccato.

191 Hæc sententia mihi semper visa valde mirabilis. Incrèdibile enim videtur, Deum tanti æstimare amorem quo ipsum amo-
 quanti peccatum quo ipsum offendo; & tantum delectari actu quolibet amoris, quantum offenditur actu peccati. Denique ex natura rei tantam esse vim actus amoris, ut Deus per absolutam potentiam non possit retinere peccata, si homo illum semel amet; hoc est, si doleat quia ipsum offendi, & statuatur in posterum omnia eius præcepta servare. Manifestè enim hæc refutari videntur exemplis humanis. Quis enim eum, qui iniuriam fecit Principi, vel eius legem violavit, ita ut mereatur mortem, dicat satisfacere ex æquo, si illum amet, & doleat de suo facto, & promittat emendationem? quis dicat, e natura rei tanti debere estimari illum dolorem ex amore profectum, quanti iniuriam & legis violationem; nec iure posse Principem iniuriam retinere, & pro meritis punire. Hoc ipso enim quo quis meritis est amittere vitâ & bona omnia, etiamsi milles amet, milles doleat & veniam petat, non censetur aliquid villo modo æquivalens offerre quod mereatur condonationem. Multo ergo minus qui iniuriam irrogat divinæ maiestati, ob quam non temporalem, sed æternam mortem & æternum supplicium meretur, poterit aliquid æquivalens exhibere, aut Deum ad condonandum compellere, etiamsi milles amet, doleat, & veniam petat.

Responsio & refutatio illius sententia.

Dolor de iniuria non est iusta compensatio inter homines, multo minus apud Deum.

192 Dices esse disparè rationem: Princeps enim non tenetur peccatum condonare, quia expedit violatorem legum puniri ad exemplum aliorum; Dei autem punitio quam infert post hanc vitam, non fit ad exemplum. Deinde, actus illi quibus reus amat, dolet, & petit veniam à Principe, sunt actus naturales, qui non habent illam vim satisfaciendi pro iniuria, & reconciliandi Principi: actus verò quibus peccator amat Deum, & dolet de peccatis, & veniam petit, sunt actus supernaturales, quos Deus ipsemet per auxilium gratiæ in nobis operatur. unde ex natura sua habent vim delendi peccati, & reconciliandi Deo.

Responsio adversa sententia.

Sed hæc solutio parvi est momenti. si enim actus ille doloris & peti-

Refutatur ista responsio.

petitionis veniæ est æqualis delicto, illudque natura sua delet, & iniuriam abolet; inique punietur reus à Principe propter delictum, siue illa puniçio sit necessaria ad exemplum, siue non: iniquum enim est, punire crimen pro quo iam est plene satisfactum. Neque etiam refert quod actus illi sint naturales: quia iniuria in Principem vel Rempublicam, pro qua exhibentur, est etiam naturalis & politica, ac proinde eiusdem ordinis. Vnde multo maior est proportio istorum actuum ad delendam iniuriam politicam, quam amoris supernaturalis ad delendam iniuriam diuinam. Quare si amor & contritiõ supernaturalis eius est naturæ, vt vi sua, velit nolit Deus, tollat peccatum & iniuriam contra Deum, sicut lux tollit tenebras; multo magis amor & dolor naturalis in Principem & Rempublicam tollet iniuriam politicam & naturalem commissam in illos. Quare cum hoc prorsus absurdum sit, & contra commune iudicium omnium Gentium, multo magis illud absurdum censei decet. Neque illa supernaturalis conditiõ quæ tribuitur actibus nostris, potest illos ita eleuare, vt faciat æquales iniuriæ in Deum: quia iniuria hoc ipso quæ est in Deum (qui est infinitæ maiestatis) incomparabiliter magis eleuatur, & fit altioris ordinis, quam omnes nostri actus boni eleuentur ex ordine quem habent ad Deum. Adde, istam supernaturalitatem, quæ in hac vita est in actibus nostris, esse valde imperfectam & inãnam, adeo vt vix videatur illa differentia inter actus ordinis naturalis & supernaturalis. Nec obstat, quod Deus nobis auxilium ad hos actus præbeat; quia id facit vt nos ad veniam ab ipso impetrandam disponamus, non vt per illos formaliter peccatum deleatur, aut æquiualens exhibeatur. Denique, si amor vel contritiõ vi sua expelleret peccatum, sicut lux tenebras, longè potentius illud expelleret, quam si condignè vel etiam ex iustitia mereretur eius remissionem vt per se patet. Quod enim ita repugnat peccato, vt ne quidem per absolutam potentiam cum eo stare possit, longè potentius illud exterminat quam quoduis meritum: cum nullum meritum possit esse, tantum, vt per se & vi sua Deum necessitet ad condonandum peccatum, sicut iuxta illam sententiam necessitat amor & contritiõ. Sed omnis necessitas quam inducit meritum, prouenit non ex natura rei, sed ex diuina promissione. Atqui nemo Doctorum audet amori vel contritiõni tribuere vim meriti condigni respectu remissionis peccatorum: nemo enim concedet, peccatorem ex condigno mereri veniam & amicitiam

Supernaturalitas actuum in se ipso in hac vita.

citiam Dei. Ergo multò minùs eis tribuent vim delendi peccatum physicè, sicut lux abolet tenebras. qui enim negat illis vim minorem multò magis negabit illis maiorem. Et sane, si illa sic abolent peccatum sicut lux tenebras, frustra disputatur an peccator per istam mereatur veniam, & quo modo, cum suppetat ratio multò efficacior, quàm sit ratio meriti. Falsum etiam erit quod docet Concilium Trid. sess. 6. capite 6. & 7. per ista nos disponi ad iustificationem, quæ peccatorum remissione & interna satisfactione ac renovatione constat, & sit susceptione gratiæ & donorum. Sicut enim illuminatio non disponit ad expulsionem tenebrarum, sed intrinsecè continet ipsam expulsionem: ita amor & contritio non disponent ad iustificationem, cum ipsam intrinsecè contineant, & formaliter conferant.

193 His sic explicatis ac suppositis, Respondeo ad Argumentum supra allatum: Si actus isti physicè spectentur, voluntas longè magis per amorem tendit in Deum, quàm per pleraque peccata mortifera auertatur: quia per multa peccata mortifera non auertitur à Deo physicè, sed solum interpretatiuè. imò amor amplius voluntatem ad Deum conuertit physicè, quàm odium possit auertere: quia Deus propter se non potest odio haberi, (sed solum propter effectus quosdam, vt quia punit peccata, &c.) sicut propter se amatur. Verùm hoc parum iuuat ad æstimationem moralem istorum actuum, quatenus pertinent ad honorem vel iniuriam Deum nam in ratione honoris vel obsequij, parum est Deo quòd à creatura suametur, cum ipse ratione dignitatis suæ infinito amore & honore dignus sit, & ratione beneficiorum suorum longè plura possit exigere: at indignissimè est, si ab illa contemnatur, cum hoc infinite quodammodò illi hostiati & maiestati repugnet. Cum enim ille ex parte sua & beneficiorum quæ contulit, infinito amore & honore sit dignus infinite etiam ex parte ipsius repugnat illi omnis contemptus & inhonoratio. Vnde vnum contemptum pluri facis in ratione mali, quàm infinita obsequia creaturæ in ratione boni & honoris. Idem cernitur in rebus humanis: pluri enim æstimat Princeps vnam iniuriam vel noxam capitalem subditi, quàm mille obsequia, & tamen excessus dignitatis Principis supra dignitatem priuati est finitus, imò modicus, cum sint eiusdem naturæ: excessus autem dignitatis diuinæ supra omnem creaturæ excellentiam est omnino infinitus. Ratio autem huius diuersæ æstimationis est, quia magnitudo iniuriæ & contemptus & inhonorationis crescit ex

*Ad obiectio-
nes initio
num. 190. al-
latas.*

*Amor magis
conuertit ani-
mum physicè
ad Deum,
quàm pecca-
ta, imò quàm
odium auer-
tat ab illo.*

*Ex vñde capi-
tibus quibus
crescit inu-
ria, decrescit
obsequium &
satisfactio.*

magnitudine eius cui fit, & ex indignitate eius qui illam irrogat, & ex obligationibus quibus ipse obstrictus est ei quem contemnit: magnitudo verò obsequij, honoris, & satisfactionis decrescit & minoris aestimatur ex magnitudine cuius cæi exhibetur, & indignitate exhibentis, & obligationibus quibus alteri est iunctus. Itaque ex illis capitibus quibus crescit aestimatio iniuriæ & contemptus, decrescit & vilescit aestimatio amoris, obsequij, & honoris. Hinc nullius puræ creaturæ satisfactio potuit villo modo par esse offensæ mortiferæ: ac proinde ut genus humanum iustæ satisfactionis interuentu redimeretur, necessarium omnino fuit ut Deus assumeret naturam humanam, & per illam iustam satisfactionem exhiberet, ut ostensum est. Sicut enim quantitas culpæ seu offensionis crescit ex magnitudine eius qui offenditur, ita quantitas satisfactionis & obsequij crescit ex magnitudine eius qui satisfactionem exhibet. Unde sicut is qui per peccatum offensus est, erat infinitæ dignitatis, ita etiam is qui iustam satisfactionem exhiberet, debebat esse infinitæ dignitatis.

*Aliter amor
Dei meretur
vitam æternam,
aliter
peccatum
mortem æternam.*

*Amor Dei
per se præcipuum
non est dignus
vitæ æternæ, quia
tunc sit
perfectus.*

Ad illud quod adferebatur de merito triusque actus. Longè 194
aliter amor Dei meretur vitam æternam, aliter peccatum mortem
æternam. Peccatum enim per se vi sua & secundum iustitiæ legem
meretur æternum supplicium, quia malitia eius est infinitæ aesti-
mationis coram Deo, eo modo quo supra explicatum: at verò
actus amoris Dei quantumvis crescat, non est per se dignus vita
æterna. Quis enim dicat, mancipium, eò quòd diligit suum Prin-
cipem, & velit ei obedire, mereri regnum aut eximium statum
apud Principem, aut ut adoptetur in filium? Multò minus homo,
qui essentialiter Dei est mancipium, quando Deum meretur ex
natura rei regnum caelorum, vel adoptionem diuinam; præsertim
cum ob beneficia accepta omnem amorem & omne obsequium
ei debeat, & Deus centuplo amplius possit exigere. Itaque hoc
tunc præuenit ex infinita Dei erga creaturam suam benignitate, &
benignissima ordinatione; quæ volens creaturam suam euehere ad
communione[m] suæ gloriæ, statuit ut ille se ad hoc, quantum hu-
mano modo fas est, disponeret, & dignum redderet; non quidem
dignitate aequalitatis; (hæc enim est impossibilis); sed cuiusdam
proportionis, qualis in infima natura rationali per auxilia gratiæ
naturæ tali congruentia dari potest. Hoc ut fieret, statuit certas ad
gratiam adoptionis obtinendam dispositiones, inter quas amor
Dei vel contritio in peccatore sit vltima; ita ut illa posita, eodem
momen-

momento condonentur omnia peccata, ornetur anima dono gratiæ, detur Spiritus sanctus, & per Spiritum adoptio diuinæ filiationis. Non erant illi ~~actus~~, amor inquam & contritio, vilo modo digni tantis bonis; sed apertior ad illa bona dispositio ex parte hominis esse non poterat, quo fit vt talis dispositio in Scriptura dicatur digna. *Facite*, inquit, *fructus dignos penitentiæ*. Dñm enim homo per auxilium gratiæ facit quod in se est, Deus acceptat tamquam dignum, & sua benignitate supplet, statuendo vt talia dona ad præsentiam talis dispositionis etiam quantumuis magno peccatori donentur. Obtena autem filiatione diuina, fit vt non solum amor Dei, sed omnia & singula bona opera, præsertim quæ ex gratia, sint meritoria vitæ æternæ, ad quod illa opera iam ratione operantis maiorem proportionem habent. Ex eo enim quod sunt opera filiorum Dei, (quibus ex adoptione debetur æterna hereditas,) & fiant per Spiritum adoptionis iam inhabitantem, dignitatem quamdam singularem contrahunt, ratione cuius dicuntur digna vitæ æternæ; & nos dicimur mereri illam ex condigno. Vnde illa dignitas operantis magis eleuat opera in ratione meriti, quàm perfectio vlla intrinseca, etiam si in infinitum cresceret; quia facit meritoria vitæ æternæ ex condigno. Itaque non tam propter dignitatem operum, quàm propter dignitatem operantium, operibus iustorum vitæ æternæ est promissa. Peccatum verò per se non ratione conditionis subiecti meretur pœnam æternam. Hinc facillè respondetur ad alterum. Quod enim peccatum mortificet omnia opera bona, extinguat gratiam, pellat Spiritum sanctum, priuè iurè hereditatis, inducat reatum pœnæ æternæ, habet vi sua, nempe ratione immitate malitiæ. Quod verò amor & contritio extinguat peccatum, & restituat omnia bona amissa, non habent ex propria dignitate, sed ex mera Dei benignitate; vt ostensum est.

Math. 3.

Spiritus adoptionis reddit opera bona digna vitæ æternæ.

198 Ad confirmationem vltimo loco allatam, negandum id quod asseritur: tantum enim abest vt amor vel contritio vi sua & formaliter deleat peccatum, vt ite ipsi quidem dono gratiæ, quo homo iustificatur (ad quod contritio solum est dispositio) id tribuendum putem, si spectetur solum physicè vt qualitas talis nature; quia nulla qualitas creata eam vim habet; vt ita tollat iniuriam Deo factam, sicut lux tenebra: iniuria enim Dei est superioris ordinis quàm omnia bona creata. Si tamen consideretur donum illud moraliter, quatenus ex ordinatione diuina coniunctam habet donationem Spiritus sancti, sic habet vim delendi omnis peccati

Nulla qualitas creata sua physica potest esse peccatum, potest tamen considerari vt habet annuam donationem Spiritus sancti.

mortiferi; quia hoc peccatum nullo modo cum adoptione diuina, qua fit huius Spiritus donatione, consistere potest: fieri enim nequit ut quis habeat Spiritum sanctum inhabitantem, & simul sit in peccato; siue ut sit filius Dei, heres regni, & inimicus Dei, reus aeternae damnationis. Neque huic vlllo modo repugnat Concilium Tridentinum, sed maxime fauet; tum quia amorem & contritionem solum dicit esse dispositionem ad obtinendam remissionem peccatorum & iustificationem; tum quia, etsi dicat nos iustificari per iustitiam inherentem, tamen distinguit remissionem peccatorum à fide, spe, & charitate, quibus iustificamur: quasi non ex natura rei sed ex sola Dei ordinatione (etsi consentanea naturis rerum) remissio peccatorum sit adnexa illorum donorum infusioni. Verba Concilij sunt: *Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* &c.

*Iustificatio
peccatoris
constat duabus
partibus*

Dices: Iustificatio peccatoris constat duabus partibus iuxta Concilium, remissione peccatorum, & infusione donorum: ergo si remissio peccatorum non fit formaliter per infusionem donorum, non tota iustificatio, sed solum pars eius fiet per dona intrinseca. Respondeo: Si illa dona spectentur physice, admitti potest quod inferitur, secus verò, si moraliter: quia sic adnexam habent donationem Spiritus sancti, cuius praesentia necessario delet peccatum; ac proinde per illa sic considerata, censetur formaliter fieri ipsa remissio. Vnde cum iustificatio peccatoris duabus partibus constet, remissione peccatorum, & interna renouatione qua voluntas fit conformis legi diuinae. Vtrumque formaliter fit per dona creata supradicta, praesertim per donum charitatis & gratiae habitualis: sed prior pars vi morali, quatenus hoc donum annexam habet donationem Spiritus sancti: altera vi physica.

CAPVT XXVIII.

*Peccatum mortiferum multiplici ratione ingens
malum esse, & ingentia male inferre.*

DUPLICI ratione aliquid malum dicitur. Primo, Quia in se 196 formaleius malitiam continet, ut amentia, caecitas, surditas. Secundo, Ratione effectuum malorum, qui ex ipso sequuntur. sicut venenum assumptum magnum malum dicitur, quia mortem in-

infert. Vt quoque modo malum est peccatum mortiferum: nam per se formaliter & intrinsece malum est, duplici malitia. Primo, Quatenus habet precise repugnantiam ad regulam rationis, & naturam rationalem quæ rationalis est. Hinc enim actus habet ut dicatur in se turpis, inhonestus, malus, & dedecoret operantem, eumque reddat dignum contemptu ac probro: sicut e contrario actus rationi consentaneus dicitur actus virtutis, & honestus, exornat operantem, eumque reddit dignum laude ac honore. Secundum hanc potissimum rationem Philosophi considerant virtutes & vitia: nam ordinem quem ista habent ad Deum, non ita cognoverunt. Quantum autem peccata sic considerata malitiæ continent, & rationalem naturam dedecorent, docet Boetius lib. 4. De consolatione Philosophiæ, Prosa 3. & 4. ubi ostendit, quod etsi externam hominis formam relinquunt, tamen animum à sua dignitate, & ab arce rationis deiciunt, & ad belluarum conditionem deprimunt, similes affectiones ei imprimendo. Ira enim inordinata similes reddit leonibus, rapacitas lupis, fraus vulpeculis, iurgium canibus, libido iumentis ad mulieres, gula porcis, acedia torpedini, inconstantia auiculis, &c. Hinc Psalmo 48. dicitur: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Loquitur Propheta de genere humano, quod in primo suo parente (qui omnium personam sustinebat) cum esset in honore iustitiæ originalis, & dominus huius mundi inferioris, non intellexit, id est, non consideravit quid esset sui officij, quid Deus ab ipso requireret, & sibi & omnibus posteris illum honorem conferret: & sic comparatus est iumentis insipientibus, tum quia insipienter ad quod veterum erat, amplexus est, tum quia illo honore & gratia spoliatus, ad omnes bestiarum affectiones insipienter se abiecit.

Peccatum mortiferum duplicem habet malitiam intrinsecam. Primum, ut repugnat rationi.

Philosophi considerant virtutes & vitia ut repugnant rationi.

197 Altera malitia peccato mortifero intrinseca, est quædam iniuria in Deum: qui enim peccat mortifere, censetur contemnere Deum, ac proinde iniuriam quamdam ei inferre. nam contemptus etiam inter homines, non solum formalis & expressus, sed etiam interpretatiuus, iniuria contra honorem & existimationem debitam reputatur: ut cum quis se indecore gerit coram Principe vel alio viro honorabili, vel aliquid facit quo videtur eius amicitiam & fauorem parvi facere. Porro multis modis & sub multiplici ratione ac consideratione peccator Deum contemnere censetur. Primo, ut Legislatorem, quatenus non curat eius leges, eas liberè violando, contemnit.

Secunda, ut est iniuria in Deum.

Peccator multis modis & sub multiplici consideratione Deum contemnit.

lando, idque Deo presente & inspectante. Hoc ipso enim quo legem contemnit, censetur etiam contemnere legislatorem, totamque eius auctoritatem & maiestatem. Vnde Solacobus *cap. 2.* suae Epistolae ait: *Quicumque totam legem seruerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Rationem adfert: *Quoniam dixit, Non machaberis, dixit & Non occides, &c.* quasi dicat: Quia auctor totius legis singularum legum violatione contemnitur. Secundò, Contemnit illum *ut vltimum finem*, & obiectum beatitudinis ad quod tendere debebat, quasi nihili ducens illud bonum amittere, ut bonum temporale consequatur. Huc accommodari potest illud quod *feremias 2.* dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* Hinc S. Thomas & alij Doctores dicunt, peccatorem per peccatum mortiferum auerti à Deo tamquam vltimo fine supernaturali. Tertio, Contemnit illum *ut Conditorum* cum omnibus beneficiis quae in creatione nobis contulit: non enim curat maiestatem infinitam Conditoris, nec quòd ab illo ex nihilo ad eius imaginem creatus, & capax Diuinitatis effectus, & tot bonis tum corporis tum animae cumulatus; nec quòd mundus iste corporeus, & omnia quae in mundo sunt, ipsius causa & ad eius vsum & obsequium sunt condita. Haec omnia nihil curat, ut animo suo obsequatur. Hanc considerationem proponit Moyses *Deuter. 32.* *Haccine reddis Domino popule stulte & inspiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te?* quasi dicat: Nonne consideratio tantae benignitatis qua te condidit, & tantis beneficiis affecit, te à peccato reuocare debuit? Quarto, Contemnit illum *ut Redemptorem* cum omnibus beneficiis redemptoris, nihili faciendo quòd ipse pro nobis homo factus sit, & tot tantisque labores, dolores, acerbitates, denique Crucem & mortem sustinuerit, ut nos ab aeterna morte liberaret, & regni caelestis compotes efficeret. Haec omnia tam parui pendit, ut illorum causa non moueatur, nec propter illa omnia velit aliquid suis cupiditatibus detractum, imò quantum in se est, omnia illa inefficacia reddit & irrita. Huc referri potest illud Apostoli ad *Hebr. 10.* *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti potuitum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Eti enim locus iste potissimum intelligatur de ijs qui recedunt à Christianismo; multi tamen intelligunt de omni-

omnibus Christianis in genere qui peccant mortiferè: quia hoc ipso Christum filium Dei, eiusque Sanguinem quo redempti & ablui sunt, & Spiritum sanctum quo filij Dei sunt effecti, censentur nihili facere, pro nullius momenti omnia ista perdentes & irrita reddentes. Quintò, Contemnit Deum *ut Iudicem* cum omnibus suis minis & suppliciis quæ ipse potest irrogare: hoc ipso enim quo nihil horum curat, vel non mouetur horum omnium consideratione ut à peccato abstineat, meritò censetur hæc omnia contemnere & nihili pendere, ut voluntati suæ satisfaciatur. Sextò, Contemnit *ut amicum*, non curando quòd perdat eius amicitiam, benevolentiam & fauorem, & quòd incurrat eius inimicitiam & indignationem. Itaque peccator & Dei timore caret, & amore. Timore, quia non curat Deum *ut Iudicem*, nec minas eius: amore, quia non curat eius amicitiam & fauorem. Hinc apparet summa fatuitas peccatoris; & meritò in Scripturis omnes peccatores vocari stultos & insipientes, etiam si mundo videantur sapientissimi. quid enim stultius quàm non timere eum, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam?* & non curare eius amicitiam, qui promittit regnum æternum? Septimò denique contemnit *Dei benignitatem & longanimitatem*, qua illum ad pœnitentiam expectat. quod maxime locum habet in iis qui diu in peccato manent, vel sæpè peccant. Huc pertinet illud Apostoli ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* His addi possunt alia attributa diuina, quorùm consideratione & reuerentia homo moueri debet ad vitandum peccatum: hæc enim omnia contemni censentur, ut omnipotentia, sapientia, sanctitas, immensitas, æternitas, iustitia, misericordia, prouidentia, &c. singula enim horum, ut à nobis concipiuntur, peculiarem quamdam reuerentiam & honorem postulant, eorumque consideratio nos à peccato abstertere meritò deberet. Ex quibus considerationibus patet quàm ingens malum sit peccatum mortiferum, quod tam multiplici modo infinito bono repugnat.

Marth. 10.

198 Hæc de malitia peccati intrinseca. Quod verò attinet ad malos effectus quos infert, ratione quorum etiam malum dicitur, hi plurimi sunt, tamen generatim ad septem reuocari possunt. Nam Primò, priuat hominem dono gratiæ habitualis, quo ipse iustus erat,

Effectus peccati septem.

V v v

&

& Deo charus, atque ad eum Dei filius. unde per peccatum spoliatur iustitia & adoptione digna, ita ut ex iusto fiat iniustus, ex amico Dei & filio, inimicus & extraneus. Vbi advertendum, donum gratiæ habitualis seu charitatis duplicem vim habere: nam hominem reddit formaliter iustum, & facit Dei filium. Et si enim hæc duo semper sint coniuncta, ex natura ræm rei sunt distincta, & per diuinam potentiam separabilia: posset enim quis esse iustus sic ut non sit simul Dei filius, si Deus iustitiæ non annecteret donationem Spiritus sancti: & contra posset quis esse filius absque dono iustitiæ inhaerentis, si Spiritus sanctus absque hoc dono daretur. Car enim Deus per absolutam potentiam suam non posset ad solum actum charitatis dare Spiritum sanctum inhabitantem, & adoptare hominem in filium: Nunc verò ex diuina ordinatione hæc sunt coniuncta & inseparabilia. Cùm enim Deus velit hominem euehere ad communionem suæ gloriæ & beatitudinis, statuit ut dono gratiæ habitualis vel charitatis sit annexa donatio Spiritus sancti; & consequenter filiatio seu adoptio diuina, quæ secum adfert ius diuinæ hereditatis. Donum igitur charitatis per se & vi sua physica reddit hominem iustum, id est conformem legi diuinæ, si peccatum abiit; quia in charitate includitur propositum totius legis diuinæ. Vnde charitas est vera iustitia Christiana, quæ nihil est aliud quàm supernaturalis conformitas cum lege diuina. Si autem peccatum mortale adit, tollit illud quidem, non vi sua physica præcisè, ut supra ostensum est, sed morali, quatenus nimirum annexam habet donationem Spiritus sancti, quæ nullo modo cum peccato consistere potest. fieri enim nullo modo potest, ut quis natus sit ex Deo (ut S. Iohannes loquitur) habeatq; Spiritum Dei inhabitantem per quem constituitur filius Dei, & simul sit in peccato mortifero. Itaque donum charitatis, quatenus habet annexum Spiritum sanctum, formaliter dicitur delere peccatum, & constituere filium Dei, & consequenter tribuere ius ad Regnum. Quare si effectus peccati distinguere & seorsum considerare velimus, primus erit quod priuet hominem dono gratiæ habitualis & charitatis, quo ipse iustus erat, & simul omnibus virtutibus supernaturalibus seu infusis, præter fidem & spem. Priuat autem non physica oppositione, quæ repugnet illi dono, sed demeritorie. Hoc ipso enim quo quis peccat, indignus redditur istis donis, & meretur illis priuari. Vnde eodem momento quo quis conseruit in peccatum, Deus subtrahit suum influxum conseruatiuum

Donum charitatis duplicem vim habet.

Esse filium Dei, & esse iustum per donum intranssecum, per diuinam potentiam sunt separabilia.

Primus effectus, priuatio iustitiæ habitualis.

quo ista dona in anima conseruabat, & sic illa repente euanescent, ita vt primum esse peccati, sit primum non-esse istorum donorum. Vnde inuens profecto eo momento fit mutatio in anima, cum subito illa vita, ille caelestis calor & vigor extinguitur, & pulchritudo illa supernaturalis, qua Angelis sanctis & Deo anima similis erat, aboletur. Merebatur quidem simili modo peccator spoliari dono fidei & spei; sed hæc diuina benignitate relinquuntur in anima tamquam semen quoddam conuersionis, vt aliquando possit resurgere.

199 Secundus effectus erit, *Prinatio Spiritus sancti inhabitantis*, & consequenter adoptionis diuinæ, seu dignitatis filij Dei. Vt enim Sapientiæ 1. dicitur, *Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum.* item: *In maleuolam animam non induit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Nam hoc ipso quo donum charitatis (quod est veluti vinculum quo Deus animæ coniungitur) euanescit, soluitur ista vnio, & Deus recedit ab anima; non loco, sed affectu & cura singularis prouidentia; perit etiam dignitas filij Dei, quam per Spiritum Dei inhabitantem acceperat, & ex filio Dei fit filius diaboli, à quo origo omnis peccati. *omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo est*, vt S. Ioannes ait, & consequenter filius diaboli; nam vt ibidem ait, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli: nempe quod filij Dei non peccent mortiter, filij diaboli peccent.* & Dominus Ioannis 8. Pharisæis volentibus eum interficere, ait: *Vos estis patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Dicitur peccator *filius diaboli* ob duas causas. Primò, quia peccatum tamquam quamdam vitam seu formam à diabolo mediante rei immemorate traxit, per quam illi assimilatur. Secundò, Quia sicut per donum gratiæ Spiritus sanctus habitat in anima vt eam sanctificet & regat ad bonum; ita per peccatum spiritus malignus incipit habitare in anima, vt eam regat & impellat ad malum. Itaque peccatum hominem ex summa dignitate & gratia honoris (quo maior esse non potest in hac vita) præcipitat ad summam vilitatem & statum infimum, quo non potest in hac vita esse abiectior, & detestabilior; faciendo ex amico & filio Dei filium diaboli & inimicum Dei; & loco Spiritus Dei inferendo spiritum diaboli. Ob hanc etiam rationem peccatum dicitur mors animæ, quia Spiritus sanctus inhabitans est vita animæ.

200 Tertio, *Prinatio iure caelestis hereditatis*, & omnium bonorum quæ Sancti in celo possidebunt. Hoc ius sequitur adoptionem & dignitatem

Secundus effectus, Prinatio Spiritus adoptio.

1. Ioan. 3.

Tertius effectus, Prinatio caelestis hereditatis.

Rom. 8.

tatem filij. *Si enim filij*, inquit Apostolus, & *heredes*. vnde soluta adoptione, & amissa filij dignitate, perit etiam ius hereditatis, & ex herede Dei ac regni caelestis fit heres diaboli & inferni. Maximi aestimatur apud homines esse filium potentis Monarchae, & habere ius ad regnum terrenum ac temporale; at infinitè amplius est esse filium Dei, & habere ius ad regnum æternum & hereditatem caelestem. vnde etiam damnatum infinitæ aestimationis censendum, cum hoc totum amittitur.

Quartus effectus. Amisio omnium bonorum operum.

Quartò, *Privat hominem omnibus suis meritis* ac bonis operibus, quæ ipse apud Deum instar magni thesauri habebat: hæc enim omnia redduntur illi inefficacia & quasi mortua, etiamsi plurima sint & maxima. Imò, etiamsi quis tantum meritorum haberet quantum omnes Sancti simul iuncti, si vel vnum peccatum mortiferum superueniat, omnia illa extinguet & inutilia reddet: perinde enim damnabitur (nisi illud peccatum ante mortem deleatur pœnitentiâ) ac si nihil vquam boni fecisset. Docet hoc Dominus apud Ezechielem cap. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur*, &c. Hoc modo multi in fine vitæ perdidit omnes labores suos & opes spirituales quas in cælo condiderant.

Quintus effectus. Privatio singularis protectionis.

Quintò, *Privat hominem singulari protectione divina*, & cura illa qua Deus solet filios & amicos suos prosequi: ipsa enim conditio filij & amici Dei postulat, vt Deus peculiari modo illum protegat contra omnes diaboli insidias, & maiora præbeat auxilia gratiæ præuenientis ad proficiendum in virtute. Hinc S. Ioannes Epist. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare: quoniam qui ex Deo natus est, idem repetit cap. 5. Semen Dei hoc loco est electus: forma quam per generationem diuinam accipimus, qua sumus filij Dei, est Spiritus sanctus nobis per charitatem coniunctus & inhabitans*. Hic ita nos corroboret, protegat, & iuuat, vt vinci à peccato non possimus, imò vt non possimus peccare; nempe à charitatis instinctu & Spiritus sancti inhabitantis impulsu sequi velimus: seu, si in charitate velimus permanere. nam vt idem ait cap. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Manet Deus in eo vt eum sanctificet, protegat, & singulari cura regat*. Hac cura peculiari redditur indignus per peccatum, & dignus efficitur qui à Deo deferatur, & sinatur potestati diaboli, cui se per peccatum fecit seruum & mancipium. nam, vt ait Apostolus, *à quo quis seruus est, huius & seruus effi-*

1. Pet. 2.

efficitur. Hinc fit ut qui vnum peccatum mortiferum patrauit, mox trahatur in aliud & aliud, vel in idem sepius incidat; quia & ipse in se factus est debilior, & diabolus fortior, & diuina protectio remissior.

Sexto, *Facit hominem reum aeternae damnationis*, & omnium suppliciorum ac damnorum quae illa inuoluit. Sicut enim ius ad regnum caeleste sequitur adoptionem diuinam; ita reatus damnationis tamquam propria passio sequitur peccatum mortiferum. *Stipendium peccati mors*, inquit Apostolus, nempe & illa mors qua statim anima moritur, dum priuatur dono gratiae & Spiritu sancto, qui est vita animae; & illa aeterna quae post hanc vitam irrogatur, cui vita aeterna opponitur. Addit enim Apostolus: *Gratia autem Dei vita aeterna*. Vnde mortem istam quae peccati est stipendium, opponit vitae aeternae; ac proinde loquitur de morte aeterna. Haec dicitur peccati stipendium, quia peccatum per se, ut à nobis est; illud meretur, & hominem dignum facit tali mercede: at nullum opus nostrum, quantumuis sit bonum & supernaturale, per se meretur vitam aeternam, sed hanc vim & dignitatem accipit à Spiritu adoptionis, quo quis constituitur filius Dei.

Septimo, Post hanc vitam *infert damnationem ipsam*, & omnia mala quae in illa includuntur, de quibus Cap. sequenti.

202 Porro quodlibet peccatum mortiferum, etiam si vnicum sit, haec omnia mala importare, Fide certissimum est. Quodlibet priuat hominem dono gratiae iustificantis, & ex iusto facit iniustum: quodlibet priuat Spiritu sancto inhabitante, & adoptione diuina, & omni iure caelestis hereditatis, & omnibus meritis, & auxilio peculiaris protectionis; ac proinde etiam reum facit aeternae damnationis: quia haec omnia insolubili aeterna sunt, connexa & inter se deuincta. Quod confirmatur: Quia Spiritus sanctus in Scripturis minatur aeternas poenas, non solum ijs qui multa peccata commiserunt, sed absolute omnibus peccatoribus, & omnibus iniquis, & omnibus Dei inimicis, & omnibus qui etiam vel vno peccati genere inquinaverunt, ut omnibus fornicariis, mollibus, furibus, homicidis, maledicis, & similibus. Psal. 10. *Pluet super peccatores, laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 91. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Matthaei 3. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de media iustorum, & mittent eos in carnium ignis.* Et Apostolus 1. Corinth. 6. *Nolite errare: Neque fornicarij,*

Cur post primum peccatum homo saepius cadat.

Stipendium est istud, Reatus aeternae damnationis.

Rom. 6.

Septimus effectus, Damnatio.

Etiam vnicui peccatum mortiferum, omnia haec mala infert.

ry, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi (μέθυοι,) neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Apoc. 21. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Atque vel vnus actus peccati mortiferi facit hominem peccatorem, & iniustum, & iniquum, & inimicum Dei, & filium diaboli; vnus actus facit furem, adulterum, fornicarium, mollem, maledicum: vna etiam voluntaria ebrietas facit μέθυοι, id est ebrium. sic enim illud ebriosi accipi debet: μέθυοι enim proprie μεθύοι seu ebrium significat. Vnde ad damnationem per ebrietatem non requiritur vt quis illi sit deditus, sicut nec in aliis peccatis, sed sufficit vna ebrietas. His adde testimonium S. Iacobi: *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus*; hoc est, non minus damnabitur quam si totam legem violasset, licet non ad æqualem peccatam. Ratio est, Quia eo ipso quo vnum peccatum mortiferum committit, contemnit Deum totius legis & iustitiæ auctorem, & paratus est etiam alias leges violare cum occasio se obtulerit. Hæc de præcipuis peccati malis, quæ in hac vita infert peccatori.

Cap. 2.

CAPVT XXIX.

De malis quæ peccatum infert post hanc vitam.

DIXIMVS generatim de malis quæ peccatum statim infert peccatori; nunc breuiter agendum de illis quæ irrogat post hanc vitam: vtilissimum enim est, hæc breui compendio sæpe ob oculos proponere, & attentè considerare. Quantum malum sit peccatum, homines in hac vita non percipiunt, quia effectus eius non sentiunt, quo fit vt etiam parui illud ducunt. Verùm post hanc vitam, quando acerbissimos eius fructus gustabunt, vel alios gustantes videbunt, tunc tandem clarè cognoscent ipsum esse summum malum; nec vllum aliud genus mali cogitari posse, quod huic sit comparandum. Porro mala quæ peccatum infert post hanc vitam, ad duo reuocantur genera, nempe ad pœnam damni, & pœnam sensus.

Pœna damni.

Pœna damni consistit in eo, quòd sententia irremediabili excludatur ab æterna beatitudine, & omnibus bonis quæ illa secum adfert; ad quæ obtinenda ille à Deo conditus erat, & in hac vita constitutus, & tota gubernatio mundi à Deo directæ. Hæc similis est confiscationi bonorum, cum quis eiciendus in exilium ad metalla,

la,

la, priuatur primò omnibus bonis, & redditur inhabilis ad omnia
 tanquam seruus poenae. Poena ista damni continet damnum quin-
 ruplex, secundum quinque bonorum genera. Primum est, *Amisio*
caelestis patriae, seu splendidiſſimae ac saluberrimae illius regionis,
 omnibus opibus & deliciis redundantis; cuius materia auro &
 gemmis pretioſior, cuius amœnitas ſolis & ſtellarum vincit pul-
 chritudinem. Describitur hæc ciuitas à S. Ioanne Apocal. 21. & in
 fine additur, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Secundum
 est, *Exclusio à contubernio* & familiaritate dulciſſima tot millium
 Angelorum & hominum beatorum, quos intueri, cum quibus
 agere & verſari etiam inſtar famuli ad obſequium, maior eſt feli-
 citas, quàm omnium huius mundi Regnorum & bonorum poſſeſ-
 ſio. Si magna poena cenſetur inter homines, cum quis priuatur ci-
 uitate & omni honore quem in ea obtinebat, vel obtinere debe-
 bat, & optimorum ciuium conſuetudine, & eicitur in perpetuum
 exilium in inſulam barbaram ac ſterilem; quanta poena cenſen-
 dum hoc æternum exilium, quo quis tali ciuitate, tali honore, &
 talium ciuium familiaritate ſpoliatur? Tertium damnum eſt, *Pri-
 uatio illius amariſſimi ſpectaculi*, quod omnes Beati habebunt in-
 tuendo pulchritudinem omnium rerum naturalium, totamque
 mundi fabricam, & inſuper omnium & ſingulorum Beatorum
 gloriam: ita enim diuinitus illuſtrantur, vt hæc omnia poſſint clarè
 intueri. Ex quo ſpectaculo incredibilem percipient voluptatem;
 adeò vt etiam ſi homines iuſti non acciperent aliud præmiũ quàm
 hæc tria bona, nempe caeleſtem habitationem, contubernium ce-
 leſtium ciuium, & claram totius naturæ conditæ cognitionem,
 cum ea cognitione Dei quæ neceſſariò ex illa reſultat, nihilominus
 cenſenda eſſet non modica felicitas, in id longè maior quàm vn-
 quam Philoſophi animo concipere potuerunt. Damnaſi tali illu-
 ſtratione carebunt: vnde neque pulchritudinem rerum creatarum
 clarè cernere poterunt, neque voluptatem vllam ex illis haurire,
 ſed ſolum mœrorem: ſicut demones, etiam ſi omnes res creatas na-
 turalis ordinis vteumque cognoſcant, nullam inde voluptatem
 percipiunt. cuius ratio duplex adferri poteſt. Prima, Quia tanto
 mœrore oppreſſi ſunt propter æternam damnationem, vt omnis
 conſolatio quàm ex pulchritudine rerum creatarum capere poſ-
 ſunt, ſit inſtar nihili. Secunda, Quia cum Deum ſummo odio
 proſequantur, etiam oderunt omnia iplius opera, & deteſtantur
 eorum pulchritudinem. Sicut qui videt filios, amicos, hortos eius
 quem

Pœna damni
 continet quin-
 ruplex dam-
 num.

Chriſtianos
 ex præſenti cog-
 nitione non
 percipiunt
 oblectationem.

quem acerrimè odit, non delectatur eorum pulchritudine vel ornatu, sed potius discruciat animo, quòd à totum inimici bonum censet & apprehendit tamquam suum malum. Quæ dicitur rationes etiam in hominibus damnatis locum habent. Quartum damnum est, *Privatio luminis gloriæ*, & consequenter visionis, amoris & gaudij beatifici: Hoc damnum est omnium maximum, utpote infinitum, quia infiniti boni amissio; sicut si quis infinitum thesaurum amitteret, ex quo summòs honores & summas voluptates percepturus erat. Itaque in hoc damno multa damna infinitæ astimationis continentur. Primò, Luminis gloriæ quo animæ eleuantur & corroborantur ad videndam essentiam diuinam. Secundò, Ipsius visionis beatificæ, qua planè similis Deo anima efficitur, iuxta illud; *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Tertiò, Amoris beatifici quo anima tota in Deum transfunditur, & vnus cum illo spiritus eminentissimo modo efficitur. Quartò, Gaudij beatifici quo de bono ipsius Dei gaudet, & tota eius dulcedine fruitur. Quintò, Gaudij illius eximij, quo quisque de sua beatitudine suisque bonis gaudebit & delectabitur. Quintum damnum est, *Privatio gloriæ corporis*, nempe claritatis, impassibilitatis, agilitatis, & virtutis spiritualis penetrandi per omnia: habebunt enim corpora obscura, fœda, passioni obnoxia, ponderosa, & longissimè ab omni conditione spiritali remota: nisi quòd ignibus consumi numquam poterunt. Porro hæc omnia damna versabuntur illis assidue ob oculos, eaque semper considerabunt, ac proinde incomprehensibilem animi mœrorem inde concipient. Fiet autem hoc tum naturæ quodam instinctu, quò quis cum in graue damnum incidit, semper de eo cogitat, nec mentem ab eo potest auertere: tum maxime diuinæ virtutis mentes damnatorum ad hoc applicante, & efficiente vè assidue apprehendant & considerent, ut inde mœrorem assidue percipiant. quod insinuari videtur Dan. 12. *Multitudo de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in visum aeternam, & alij in opprobrium ut videant semper. quid videant, nisi suum opprobrium & sua damna, quæ propter sua peccata sunt perpessi, & patientur in æternum?* Vnde non erit in potestate illorum mentem diuertere ab horum damnorum consideratione.

1. Ioan. 3.

Hæc damna
semper habebunt
ob oculos
ex duplici
causa.

Pœna damni
erit eadem,
sed afflictio
diuersa.

Ex varietate huius considerationis proveniet diuersitas afflictionis pœnæ damni in damnatis. Etsi enim damnum ipsum quod pœna damni vocari solet, par erit omnibus; (omnes enim æqualiter omnibus istis bonis excludentur & priuabuntur: tamen afflictio quæ inde

204

inde proueniet, par non erit, siue hæc afflictio ad pœnam damni, siue ad pœnam sensus pertinere dicatur. Sicut enim maximi peccatores merentur maiorem pœnam sensus ab igne prouenientem, ita etiam merentur maiorem pœnam ex damno. Atqui pœna damni ex parte ipsius damni maior esse non potest, sed omnibus est æqualis; sed solum potest esse maior vel minor ex parte afflictionis & mœroris, quem damnus ipse adfert mediante consideratione. Itaque tota hæc diuersitas pendet ex diuersitate considerationis. Neque id mirum, cum nullum damnus, quantumuis magnum, habeat rationem pœnæ afflictiuæ, nisi per considerationem applicetur ita ut animum discruciet. De ratione enim pœnæ afflictiuæ est ut repugnet voluntati, eamque mœrore afficiat. quod si non apprehenditur damnus, vel nihili penditur, non habet rationem pœnæ afflictiuæ, sed tantum priuatiuæ. Quare sicut ignis non affligit, nisi ita applicetur ut dolorem inferat; ita etiam damnus non habet rationem pœnæ afflictiuæ, nisi per considerationem applicetur ut animum mœrore afficiat.

205 Dices: Paruuli sustinent pœnam damni, & tamen inde non affligentur mœrore, etiam si eam considerent: ergo etiam alij damnati poterunt se continere, ne ex consideratione huius damni mœrore afficiantur. Respondeo, negando consequentiam. est enim valde dispar ratio. Primò, Quia paruuli ad illa bona non nisi remota ius habuerunt: nec vquam in illorum potestate fuit ea consequi. Sicut rusticus non multum dolet quod non fuerit adoptatus à Rege, etiam si aliqui alij Regis liberalitate ex eius vico adoptati fuerint, & magni Principes effecti, quia ad hoc non habuit ius vllum saltem propinquum. Secundo, Quia ob incertum euentum huius vitæ, & periculum horrendæ illius damnationis iniquorum, quam optime cognoscent, gratulabuntur sibi, quod ante usum rationis ex hac vita subtrahi fuerint, & isti periculo exempti: nam maxima pars illorum fuisset damnata. Itaque quia Deo aliter vitum non est, contenti sunt sua sorte, eaque fortasse illis est gratior, quam exponi periculis huius vitæ ad obtinendam beatitudinem: præsertim cum multi etiam Christiani, si in illorum esset arbitrio, mallet similem statum, quam versari in periculis damnationis cum spe beatitudinis. Qui tamen affectus in ipsis est valde inordinatus: quia Deo aliter visum, qui paratus est ipsos iudicare ut certo assequantur, si ex parte sua fecerint quod debent, & facile possunt. Secus de illis qui vitam salutis ignorant. Tertiò, Quia Deus singulari

*Cur adulti
potius quam
paruuli ex
damni pœna
mœrore
sustineant.*

*Cur paruuli
non doleant
de pœna
damni.*

lari prouidentia mentes eorum gubernat, vt forte sua contenti sint. non enim pœna damni affecti sunt, vt inde dolorem concipiant, cum propria voluntate non peccauerint: sed quia propter peccatum primi parentis, illis bonis facti sunt indigni.

Hæ rationes in adultis locum non habent, cum in illorum potestate fuerit illa bona consequi, & sua voluntate declinando à Deo videantur illa parui fecisse. Vnde priuatur, non solum quia aliquo modo indigni, sed quia ea contempserunt peccando: ac proinde oportet vt mœrorem ex hoc damno sentiant.

Soti & Abulensis sententia.

Dominicus Soto in 4. dist. 5. a. 4. secutus Abulensem, putat hanc maiorem afflictionem pœnæ damni prouenturam in maioribus peccatoribus ex eo quod ipsi maiori odio prosequantur Deum quam minores peccatores: quod autem quis aliquem magis odit & censet inimicum, eò fert ægrius damnum quod ab illo patitur. Verum, ut hoc interdum aliquid facere possit ad augmentum mœroris in damnis sustinendis, hic tamen non potest esse causa principalis. omnes enim summo odio quo possunt, Deum prosequuntur; & qui minora peccarunt, videntur habere maiorem causam murmurandi contra Deum, & tristandi de tanto damno, quam qui plurimis peccatis illud meruerunt, vt facillè exemplis humanis ostendi potest.

Diuina iustitia facit vt alij maiorem alij minorem tristitiam ex damno illo sentiant.

Vnde dicendum existimo, hanc diuersitatem afflictionis ex damno illo prouenire ex eo quod perfectius & vehementius, vel minus perfecte & vehementer magnitudo huius damni concipiatur, diuina iustitia id in mentibus eorum operante: iustum enim est, vt intelligant ac sentiant, quantum bonum sua culpa amiserint, idque eò amplius, quò grauius peccauerint. Neque mirum videri debet, Deum id supernaturali modo in mentibus eorum operari: quia longè magis mirum, quod singulos in die Iudicij ita illustrabit interius, vt etiam aliorum peccata & cordium consilia cognoscere possint, vt ex Apostolo constat. Neque absurdum est, damnatis fieri aliquam reuelationem vel illustrationem mentis, quæ ad eorum damnationem & afflictionem pertineat.

1. Cor. 4.

Luce 16.

Damnati nõ cognoscent gloriam Sanctorum intuitu, sed abstractiuè.

sicut diuini in inferno ostensus est Lazarus in sinu Abraham, & concessum loqui cum Abraham. Non tamen opus est vt huiusmodi illustrationes sint supernaturales in substantia, sicut nec illæ quæ fiunt in Iudicio. Similiter non est necesse vt ipsi intuituè Sanctorum gloriam aut ipsos Sanctos in cælo existentes videant: satis est vt abstractiuè eam cognoscant & de ea cogitent, sicut nos de rebus absentibus cogitamus. Beati tamen intuituè & clare damnatorum

pœnas

pœnas eernunt, vt ex Scripturis constat, Isaia ultimo, & Apoc. 14. Facile enim vis mentis lumine gloriae illustrata ad omnia ista per-tingit. Multiplex etiam hinc fructus: nam primò facit ad cumulum gaudij, quòd videant miserias aliorum (quas ipsi auxilio gratiæ diuinæ euaserunt) easque cum sua felicitate componant. Deinde, hinc excitantur ad peculiarem gratiarum actionem, propter exhibitam sibi misericordiam. Denique prouocantur ad congratulandum iustitiæ diuinæ, quæ hoc modo ordinem iustitiæ à peccatoribus violatum instaurat, & sibi quodammodò satisfieri curat. Hæc breuiter de pœna damni.

206 Sequitur pœna sensus, quæ etiam quinque afflictionum genera continebit. Prima est *ex ipso loco*, qui & profundissimus est & obscurissimus, & à cælo, vnde omnis incenitas rebus inferioribus, longissimè distans, omni horrore, calamitate & mœstitia plenissimus. Profunditas carceris, obscuritas, & aëris malignitas multum faciunt ad carceris grauitatem, quæ interdum tanta est etiam apud homines, vt magnis tormentis possit æquari. at carcer infernalis per se millecuplo grauior est omni carcere huius mundi: nam vel solum esse in illa voragine, & in illis tenebris, absque vlla se-
fruentiæ lucis vel aspectus calorum, & audire assiduè ploratus, clamores, furores, & blasphemias damnatorum, ingens supplicium quauis morte grauius censeretur, etiam si nihil ab igne vel demonibus, patereris. Vnde Iob cap. 10. vocatur *terra tenebrosa & oper-
ta mortis caligine, terra miseria & tenebrarum, vbi nullus ordo, se-
semper horrore inhabitat.* & Isaia 34. *Terra sulphuris & picis
conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit
terra eius in picem ardentem.* a Domino Matth. 13. vocatur *cam-
inus ignis*, à S. Ioanne Apocalypsis 14. & 19. & 20. & 21. *stagnum
ignis & sulphuris.* Augebit huius carceris afflictionem murorum
firmitas & spissitudo, quæ omnem spem euadendi excludet. am-
bitur vndique & clauditur spissitudine terræ, quæ à cætro ad super-
ficiem plusquam mille leuas continet. quis huiusmodi murum
perfordiat; præsertim, cum non nisi ascendendo id fieri possit:
vbi pedem figet, pondere corporis semper ad ima per vacua spa-
tia tendente?

Quinque af-
flictionum ge-
nera in pœna
sensus.
Prima, ex lo-
co obscuris-
simo & hor-
rendissimo.

207 Secunda afflictio est, *ex demonum & aliorum damnatorum per-* Secunda, ex
demonum &
damnatorum
societate.
petua societate. sicut enim Beatis singulis ingens gaudium & oble-
ctatio erit, amicissime versari cum aliis Beatis; ita damnatis ex
contubernio & præsentia aliorum damnatorum ingens erit mœ-

ror & afflictio. Primò, Quia cogi semper esse in medio misero-
rum, & omnium illorum malorum pati affectum, auditum,
querimonias, per se ingens est miseria. Secundò, Quia omnes se
mutuò oderunt, nempe quatenus sunt creaturæ Dei ad eius ima-
ginem conditæ. Sicut enim summè oderunt Deum, ita etiam
odio habent quidquid est Dei, quatenus eius magnitudo, poten-
tia, sapientia, iustitia, vel alia perfectio in eo resplendet. Atqui valde
molestum est pati assiduè præsentiam eorum quos oderis, quod
maximè locum habet in iis qui ipsis fuere causâ damnationis, vt
sepè sunt parentes, vxor, filij, socij, & in primis dæmones, qui nul-
quam absunt; hæc enim omnes acerbissimo odio prosequuntur,
tamquam auctores suæ perditionis: unde grauissimum ipsis erit,
quod assiduè cum illis esse cogantur, & eorum maledicta, contu-
melias ac furias perpeti. Tertio, Quia valde credibile est, dæmo-
nes etiam post Iudicium fore tortores hominum, etsi quidam ali-
ter sentiant, inter quos S. Bonauent. in 1. d. 47. & quidam quos sine
nomine refert Magister Sent. eadem dicitur enim ante Iudicium
torquent animas damnatorum, vt ex multis reuelationibus con-
stat; cur non etiam post? non enim minùs nunc pœna damna-
torum est determinata per iustitiam diuinam, quàm tunc erit.
æquum est vt sentiant clementiam & benignitatem hominorum,
quibus per peccatum se subiecerunt, & quorum se fecere man-
cipia. Item consentaneum Scripturæ Ecclesiastici 39. *Sunt spiri-
tus qui in vindictam creati sunt.* quamuis istius loci alium sensum
putem. Adde, si Deus in hac vita permittit vt impij se mutuo læ-
dant, quid mirum si id permittat iudicij tempore, & sinat eos tam-
quam rabidos canes in se mutuò lacere? illa enim pœna, quam
mutuo furore alter ab altero patitur, inter mala secundaria istius
status computanda, tamquam accessio pœnæ principalis quæ à
Deo inferitur: sicut oblectatio quam Beati recipiunt ex mutua
consuetudine, inter bona accessoria status Beatorum. Vnde in illa
facile potest admitti variatio, vt nunc maior sit, nunc minor. Hinc
patet, versari inter damnatos & dæmones per se longè fore gra-
uius, quàm versari in aliquo specu pleno serpentes & bufonibus.
Hanc pœnam interdum indicat Scriptura, vt Isaiæ 34. sed allego-
ricè; & Matth. 25. *Qui paratus est diabolo & angelis eius.*

*Dæmones tor-
quentur ho-
mines dam-
natos.*

*Tertia, ab
igne sulphu-
reo
Apoc. 14. 19.
20. & 21.*

Tertia afflictio, eaque maxima, erit *ab igne sulphureo*: omnes 208
enim mergentur in stagnum sulphureum ardentissimum (vt patet
ex Apocalypsi Ioannis) etsi alij magis, alij minùs profundè. Ma-
gnis

gnis verò peccatoribus non solum exterius ignis applicabitur, aut ipsi in ignem seu stagnum igneum mergentur, sed etiam in corpora, viscera, & ossa eorum ignis implicabitur, ita ut ipsi toti ardeant; sicut ex multis visionibus colligi potest, in quibus damnati toti ardentibus apparuerunt. Sciet autem hic ignis in alios plus, in alios minus, pro meritis cuiusque: quia operabitur ut instrumentum diuinæ iustitiæ, quæ illo tanquam flagello utetur. Facile est Deo non solum applicare ignem, ut vi sua naturali eum concursu generali agat: sed etiam speciali concursu plus vel minus ei cooperari, ut maiorem vel minorem impressionem faciat, & maiorem vel minorem effectum producat.

Petes, quomodo fieri possit ut corpora damnatorum tanto ardore non dissoluantur, sed semper integra perseverent: ignis enim omnia mixta dissolvit in elementa, & omnem humiditatem extenuat in auras. Quidam putant ignem inferni non producturum calorem in corporibus damnatorum, quia tunc motus cæli cessabit, sine quo nulla alteratio aut quivis alius motus corporalis fieri potest; sed solum speciem intentionalem caloris, quæ non est corruptiva rerum. Ita Caiet. in Oratione quam habuit coram Summo Pontifice Iulio II. & plerique de schola S. Thomæ ipsum secuti in 4. dist. 44. q. 3. a. 1. Verùm hæc sententia non probatur: nam Primò, parum credibile omnes vires rerum corporalium earumque actiones & operationes ita pendere à motu cæli, qui solum localis est, ut illo cessante, omnes debeant cessare, nec ignis etiam maximus possit corpus admotum vel iniectum calefacere, aut itupam incendere. Nulla enim ratione tam intrinseca dependentia probari potest, unde frustra asseritur. Deinde, nulla etiam ratione vel experientia ostendi potest, dari aliquam speciem intentionalem caloris, sicut dantur species lucis & colorum quando illuminantur extrinsecus: soli enim luci & coloribus qui lucem & colorantur concessum videtur, ut speciem seu imaginem sui foras diffundant. Quis veroquam speciem caloris vel frigoris percipit, quæ non esset verus calor aut verum frigus, sed solum imago & specimen illorum? Ratio est, quia calor & frigus se possunt diffundere per se producendo effectum eiusdem speciei: unde superfluum est ut se diffundant per suam imaginem, quæ necessariò est alterius rationis & naturæ, perfectior enim est communicatio secundum eandem naturam, quam solum secundum imaginem. Lux verò & color non possunt se diffundere nisi per suam imaginem,

Cur corpora damnatorum igne non dissolventur.

Sententia S. Thomæ & Thomistarum, scilicet corpora solum passura per imaginem caloris.

Non dantur imagines caloris & frigoris, sicut lucis & coloris.

nem, qua corpus diaphanum afficiunt; & quasi tenuiter pingunt, & sibi assimilant quantum possunt. Hinc patet, non recte colligi à quibusdam Philosophis: Si lux & colores illuminati imaginem sui diffundunt, etiam reliquorum sensuum obiecta similem imaginem debere diffundere. est enim dispar ratio, cum reliqua obiecta habeant modum se communicandi & protendendi ad sensum per se, idque vel immediatè, vel producendo effectum eiusdem speciei: lux verò & colores non possint se nisi per imaginem suam communicare.

Verius est passura ingentem calorem.

Itaque dicendum est, corpora damnatorum verum & ingentem calorem ab igne perpessura, non tamen idcirco dissoluenda. ita docet Augustinus lib. 2 1. de Ciuitate cap. 9. & 10. & acriter defendit Dionysius Carthusianus 4. d. 44. q. 10. Colligitur ex Scripturis: Iudith 16. *Dabit ignem in carnes eorum* (non imaginem & species ignis) *ut urantur semper.* Matthæi 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Marci 9. *Omnis enim igne soluetur.* Valdè frigidum esset, hæc & similia de quadam imagine ignis & caloris interpretari, & ab hac corpora dici vri, comburi, igne sciri. Quomodo autem corpora tanto æstu non dissoluantur, conatur ostendere S. Augustinus lib. 2 1. de Ciuit. cap. 4. exemplo salamandræ, montis Ætne, carnis pauonis, magnetis, & aliarum rerum, quarum conditio & vis incredibilis ijs qui non sunt experti. His adde exemplum auri, in quo temperamentum ita est firmum, vt vi ignis dissolui non possit, vt docet Plinius lib. 33. cap. 3. Quòd si vi patere elementa in auro ita contineri possunt, vt vis ignis non possit ea soluerè aut humidum, quo constant, in auras dissipare: quid mirum, si vis Dei infinita, creatrix naturæ, intimè præsens rebus omnibus, possit in corporibus humanis ita continere elementa & humores omnes, vt nulla fiat resolutio aut dissipatio, quamuis ea corpora instar ferri candentis ignescant? Idem dicendum de sulphureo stagno, quod apud inferos æternum ardebit absque vlla resolutione vel consumptione.

Virtuti diuina facile est elementa continere ne dissipentur.

Vtrum autem id fiat positiuo influxu supernaturali in res istas, quo ita continentur vt resolui non possint, an per subtractionem concursus, non ita liquet. Mihi videtur sufficere, vt Deus calori, qui natura sua vim habet extenuandi & dissipandi humorem rebus infitum, subtrahat suum concursum, ne possit hunc effectum in corpore cui inest producere: quò concursu subtrahcto, calor non magis dissipabit aut extenuabit corporis humores quam frigus. nihil.

Subtractione concursus fieri potest vt calor non extenuet & dissipet humores.

hilominus per hoc nihil de acrimonia eius quam in sensum exeret, detrahetur; quia hæc actio est alterius rationis.

Dices: Etiam si corpus non dissoluatur, tamen ingens dolor interimit, ut docent Medici; & constat experientia, ac proinde non poterunt manere viui in igne. Respondeo, dolorem non posse interimere hominem, nisi quatenus dissipat spiritus; & accendit febrem qua humores dissipantur, ut ijdem Medici docent: vnde si Deus impediatur hunc effectum per subtractionem concursus, vel alio modo, nullus dolor, quantumuis magnus, perimere poterit: manentibus enim in corpore omnibus dispositionibus & instrumentis necessariis ad unionem animæ cum corpore, nullus dolor, nullum supplicium potest illam abigere aut auellere à corpore, sed illa, velit nolit, manet desincta & illi colligata, etiam si totum igne, instar metalli candentis, imbueretur. Quod autem dispositiones illæ & instrumenta quæ necessaria sunt ad unionem animæ cum corpore, non sint defutura corporibus damnatorum, vel ex eo colligere possumus, quod ea accipient in resurrectione, qua omnia ad perfectum statum reformabuntur. At non videtur verisimile, eos confestim vi ignis & suppliciorum amissuros illum naturæ statum & temperamentum naturale quod in resurrectione acciperunt. Itaque Deus etiam in illis ardoribus & doloribus temperamentum illud conseruabit: quo conseruato, anima manebit deuincta corpori, nec poterit se ab illo liberare, ac proinde nec ipse homo poterit mori.

Dolor non interimit nisi dissipando.

Deus conseruabit in corporibus damnatorum temperamentum necessarium ad unionem animæ.

Dices: Temperamentum corporis humani requirit certam mensuram caloris, quæ hic non videtur futura: quia ardor ignis longè excedet. Respondeo: Etiam si ardor ab igne impressus longè excedat mensuram caloris naturali, id tamen non obstat: quia cum mensura caloris naturali trium graduum potest consistere, calor extraneus longè maior, ut patet in ardentissima febre, vnde etiam Deus etiam cum summo calore conseruare poterit. Denique ad iustitiæ diuinæ prouidentiam pertinet, ita illa corpora integra & viua pœnis æternis conseruare, ut nec diuidi in partes, nec conteri, nec consumi, nec suffocari possint.

211 Quarta afflictio erit *omnium sensuum à propriis obiectis*. Visus eni in tenebris & spectris horrendis, & stagni ardentis aspectu, & loci totius immanitate, & fumo acerrimo torquebitur. Auditus clamoribus, ciulatu, maledictis, blasphemis, aliisque furoris & desperationis signis, nimirum eorum qui non planè demersi in stagno.

Afflictio omnium sensuum à suis obiectis

stagnano. Odoratus odore teterrimo, quo omnia plena erunt. Gustus & lingua tum à sulphure ardente, tum ab amarissimo succo quo lingua & os imbuetur. Denique sensus tangendi ac totum corpus, non solum ardore ignis, sed etiam mutua compressione & angustia immensa. valde enim verisimile est, ut supra diximus, alios super alios instar fascium & sarmentorum coaceruandos, sic ut inferiores vehementer comprimantur à superioribus, & extremas patiantur angustias. Singulae istae sensuum afflictiones per se & seorsim consideratae tantae erunt, ut quaelibet satis sit ad hominem mox interimendum, si mori posset. Sicut enim Sancti in caelo tantas habebunt oblectationes in singulis sensibus, quantas nemo in hac vita percipere potest, etiam si omnia mundi oblectamenta illi suppetere: ita iniqui tantas, in singulis sensibus patientur afflictiones, quantas nemo in hac vita sustinere potest. sicut enim in illis magnitudini gloriae & gaudij, quod erit in mente, respondebit magnitudo felicitatis quae erit in corpore & sensibus: ita in damnatis magnitudini miseriae quae erit in portione superiore, respondebit miseria corporis & partis sensitivae. Felicitas enim animae & corporis, partis superioris & inferioris, seu partis intellectivae & sensitivae, debent esse commensae in suo ordine, & exacta proportionem subordinatae. Idem plane dicendum de miseria.

Quinta afflictio erit à *verme assidue rodente*. Haec afflictio videtur esse praecipua: nam & ab Isaia c. 66. & à Domino Marci 9. praeponeitur poenae ignis: *Ignorum*, inquit, *vermis non moritur, & ignis non extinguitur*. ter id ipsum eodem loco repetens. Plerique (& recte) per hunc *vermem* intelligunt conscientiam mordentem. Haec conscientia consistit in duabus cogitationibus (quae etiam in quatuor vel quinque distingui possunt) quae assidue menti tamquam vermes inhaerebunt, eamque affigent. Prima, Quod sua culpa privati sint aeternis & maximis bonis, quae facili negotio poterant consequi. Secunda, Quod addicti aeternis tormentis, quae facile peterant euadere. Hinc gemina nascitur: tristitia, quae immensa quadam acerbitate cor eorum tamquam vermis arrodet, nempe quod inestimabilem illam gloriam, quae illis erat quasi in manibus, sua stultitia amiserunt; & quod in aeterna tormenta se sponte praecipitauerint. Haec cogitationes & hi dolores sunt vermes acerbissimi, quorum morsus, (id est tristitia inde nascens) est praecipuum damnatorum tormentum, ut supra num. 159. ostensum est. Exacuit & animat hos vermes iustitia divina, faciendo ut mens eorum

Vermis consistit in cogitatione bonorum qua amiserunt, & malorum qua incurverunt, & aeternitatis eorum.

Iustitia divina exacuit hos vermes.

eorum hæc omnia assidue & acriter apprehendat & cogitet; ac imprimis horum omnium æternitatem, nempe hæc damna & hæc supplicia fore æterna, & nullis vniquam sæculis finienda. ea enim est conditio æternitatis, ut omne bonum faciat infinite melius; & omne malum infinite peius, nimirum quod ad æstimationem attingit. Horum omnium consideratio eò in singulis erit vehementior vel minus vehemens, quò plus vel minus olim peccauerunt, ut maior quoque vel minor sit tristitia pro mensura meritorum cuiusque.

213 Ex hoc etiam verine nascetur desperatio, ex desperatione furor & odium in Deum, & in omnia quæ Dei sunt, & in seipso, ac in omnes damnatos: ex odio, blasphemis & maledictis. De desperatione, res est manifesta. Hoc ipso enim, quo certissime scient poenas suas fore æternas, (hoc enim sententia Iudicis continebitur quam ipsi clarè percipient,) necessario desperabunt, & omnem animi motum in bonum abiicient. Hinc furiosi in petus sequentur, sicut in hominibus desperatione actis fieri consuevit, nempe iræ & odij in Deum, quibus vellet illum perdere si possent, & quia non possunt ei nocere, crepabunt præ indignatione ac furore, & prorumpent in blasphemias & maledicta, quibus & Deum, & omnes Sanctos, & se ipsos maledicent. Insinuat hæc Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 4. p. 4. ubi in dæmonibus dicit esse *furorem irrationalem, cupiditatem amentem, & phantasiam precipitem*. Si hæc in dæmonibus, multò magis in aliis damnatis. Irrationalis furor est insurgere contra Deum; *amens cupiditas*, optare illi malum; *phantasia princeps*, quidlibet contra illum animo concipere.

Hinc patet, non esse opus ut Deus infundat illis habitum vel actum odij, ut absurdè à quibusdam olim scriptum est. Hoc enim planè repugnat diuinæ bonitati; alioquin ipsa esset proprie auctor peccati, & necessitate voluntatis efferretur ad actum internum maximi peccati. Nec obstat, quòd istud odium tunc non esset peccatum, cum non esset opus liberum: quia et si non sit ita peccatum ut debeat imputari ad nouam culpam, tamen in se est opus prauum, rationi & naturæ rationali repugnans, & bonitati diuinæ iniuriosum & contumeliosum: neque hæretici, qui Deum faciunt auctorem omnium scelerum, (ut Lutherus, Caluinus, Svinglius, Melanckthon, Beza, & similes) ipsum alio modo auctorem faciunt quàm necessitando ad actum prauum. Similiter qui introducunt fatum.

*Desperatio
ex hoc verine*

*Non infundat
illis Deus
actum vel ha-
bitum odij
Dei.*

Vnde nascitur odium Dei.

Odium hoc nascitur ex eo, quod assidue considerent suas peccatas, 214
 quas sciunt à Deo infligi. Vnde apprehendunt illum tamquam summum malum, utpote auctorem totius afflictionis; ac proinde summo odio illum prosequuntur, & propter illum quicquid ad illum villo modo pertinet. Et quamuis sciant se iustissime à Deo puniri, tamen non tamen idcirco patienter ferunt, quia iustitiam odérunt, cuius legibus tantum sibi malum irrogari sciunt.

Peccant odio & blasphemis.

Petes, Vtrum peccent per istud odium & blasphemias? Respondeo, peccare; quia cum pleno rationis iudicio & satis liberè ista faciunt. nam etsi in genere videantur determinati ad malum, in singulis tamen actibus possent resistere & non consentire prauis impulsibus. Vei àm quia hoc illis nullum adferret leuamen peccatorum, laxant habenas impatiencie, & toto impetu animi contra Deum insurgunt. Hæc tamen peccata non imputantur ipsis ad nouam peccatam, quia ipsi sunt in termino: ac proinde ista sunt veluti flores & fructus illius status, sicut bona opera Beatorum non merentur nouam gloriam. Hoc ipso enim quo quis est in termino, cessat ratio meriti & demeriti, quæ nihil est aliud quam tendentia ad terminum.

CAPVT XXX.

Quomodo ignis corporeus agat in spiritus.

Res hæc est valde obscura, quamobrem diuersæ sunt de ea sententiæ.

Lib. 21. de Ciuit. c. 10.

Dæmones alligandi igneis corporibus.

In primis Doctores Scholastici, secuti S. Augustinum, ferè in eo 215
 consentiunt, quod omnes dæmones sint alligandi vel potius illigandi igni vel igneis corporibus, ex qua illigatione ingentem merorem concipient: priuabuntur enim sua naturali libertate, ut ne possint vbique vagari sicut modò faciunt: eruntque sicuti captiui tunc alligati, quem secum trahere coguntur, cum se mouere volunt. Et fortè hæc alligatio ex parte causa erit, ut ampliùs carcerem suam egredi nequeant. Quamuis enim vi sua naturali terram percurrere possent, & sic etiam cum corpore cui alligati, erumpere foras in aërem: tamen vbi se in aëre alligati fuerint, id illis non permittetur; sed sicut diuina virtute corpori igneo alligabuntur, ita eadem virtute intra fines inferorum detinebuntur, ut nullo modo possint egredi limites illius. Credibile etiam est, hæc corpora terribiles

biles habitura formas, illorum peccatis, & damnatorum hominum suppliciiis congruentes: quas vel ipsi poterunt sibi formare, vel Deus ipse corporibus illis stabiliter tribuet, vt nihil defit quod oculis vel imaginationi sit horrendum. si enim corporibus sint illigandi, rationi consonum est, vt illa corpora formam habeant externam in alitix illorum & crudelitati consentaneam, ad maiorem hominum damnatorum afflictionem.

Præter hanc alligationem, quidam non videntur agnoscere aliud supplicium ab igne in dæmonibus: vt S. Thomas 1. p. quæstion. 64. a. 4. & lib. 4. contra Gentes cap. 90. & multi Thomistæ. Verum hoc difficile est creditu: Primum, Quia si solum patiuntur alligationem, aptiora ad hanc pœnam erant laxa ingentia, vel molles terrarum, quæ sua grauitate & crassitie detinent, quàm ignis qui leuissimus est: & tamen Dominus Matth. 25. dicit *ignem ab initio paratum diabolo & angelis eius*. Deinde, non est dubium quin ita dæmones affligantur igne, sicut animæ corpore solutæ, quæ etiam sunt nudi spiritus. Sed animæ torquentur vi ignis, non alligatione tantum. anima enim Diuitis non petit solui, sed *refrigerari*, nec dicit se teneri, sed *cruciari in flamma* infernali: vt intelligamus, simili dolore illam ibi affici, quo afficiuntur cum sunt in corpore. Denique, hic videtur communis sensus & conceptio fidelium. quam sententiã apertè tenet S. Augustinus lib. 21. De Ciuit. cap. 10. *Cur, inquit, non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Añ arehudi ergo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, miris & ineffabilibus modis, adherendo accipientes ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam. Si non aliter affligerentur ab igne quàm concipiendo tristitiam ex eo quod illi sint alligati, non miris & ineffabilibus modis acciperent pœnam ab igne: facile enim est intelligere eos diuina virtute alligari igni, & inde concipere mœrorem. Idem confirmat Gregorius lib. 9. Moralium cap. 50. vbi postquam præcedentibus capitibus ostendisset, homines igne corporeo cruciandos, docet eodem modo etiam cruciandos dæmones. Quamuis, inquit, angelorum & hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat. Quare passim Doctores docent, etiam alio modo eos ab igne affligi. Sed hoc variè à diuersis explicatur. Quidam dicunt,*

Non solum
patiuntur al-
ligationem.

Luce 16.

Quomodo
affligatur
spiritus ab
igno.

cunt, Deum per ignem tamquam per suum instrumentum in intellectu dæmonis producere speciem intelligibilem ignis ad eum vehementem, ut perturbet intellectum ipsius, sumque deinceps in consideratione ignis cui alligatus est, & impediatur ab aliarum rerum consideratione, & ob hanc causam dæmonem valde tritari: ita Richardus in 4. d. 44. art. 2. q. 3. Alij dicunt illum tritari, eò quòd species illa impressa sit à re tam vili, videlicet ab igne corporali, quasi contra ipsius dignitatem sit pati à re corporali. Ita quidam Thomistæ, ut refert Gabriel Vasquez 1. p. disput. 243. Alij dicunt, Deum per ignem tamquam per instrumentum non imprimere quidem speciem aliquam præuiam cognitioni (quæ solet vocari species impressa) sed ipsam met cognitionem, qua velit nolit cogitur semper intueri suum ignem, & de eo cogitare, & ideo illi affici tristitia. Ita Scotus in 4. d. 44. q. 2. & Supplementum Gabrielis, cum Occamo. Verùm hæc sententiæ parum sunt verisimiles, & facile refutari possunt, easque fusè refutat Gabriel Vasquez loco citato.

Alij docent, Deum per ignem producere in ipsis dæmonibus non quidem speciem intelligibilem, aut cognitionem seu apprehensionem ignis, sed alterius rationis qualitatem spiritualem minime conuenientem eius naturæ, quæ ipsos maculet & turpet, ac deformes reddat, & ea de causa ipsos vehementem tristitiam concipere. Sed mirum est, si aliqua qualitas possit illum magis deformem ac maculatum reddere, aut eius naturali pulchritudini esse magis aduersa, quàm habitus & actus vitiorum, & ipsa tristitia vel dolor. Quare non videtur alia qualitas impressa à Deo querenda qua turpis reddatur, satis ipse se detestatur, etiam de præcipua sua turpitudine, nempe de actibus & habitibus vitiorum, parum doleat. Porro omnes isti DD. ita hanc rem explicant, ut non videantur se natura spiritali agnoscere alium dolorem quàm tristitiam propriè dictam, quæ nascitur ex cogitatione mali, siue hoc in pœnatione consistat, ut est pœna damni, siue in aliquo positivo, ut sunt alia mala, ob quæ quis tristitiam concipere potest.

Verùm Scriptura Lucæ 16. & Matth. 25. & Patres aliquid amplius insinuare videntur, cum igne torqueri & cruciari dicunt spiritus. Ignis enim potissimum ob dolorem quem immediate exulat, formidatur, non ob tristitiam quæ ex eius præsentia animo concipitur: nisi enim dolorem inferret, parum illum curaremus. Vnde S. Augustinus ait, *spiritus adherendo igni miris & ineffabilibus modis pœnam*

panam seu dolorem ex eo accipere. & S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29.

Ex dictis Evangelicis colligere possumus, quia incendium anima non solum videtur, sed etiam experiendo patitur. Idem satis aperte docet lib. 9. Moral. cap. 50. & ostensum est. & confirmatur ratione;

Quia si daemones non patientur dolorem qualem anima ex igne sentit in corpore, sed solum tristitiam ex cogitatione suorum malorum; solum dimidiatam afflictionem habebunt hominum comparatione: nam homines non solum tristitiam ex cogitatione, sed etiam immanissimum dolorem sensus patientur ab igne, qui dolor non erit in corpore, (quod per se nullius doloris est capax,) sed in ipsa anima: & longe videtur intolerabilior quam omnis tristitia. Si dicas, hunc dolorem in daemonebus compensandum per maiorem tristitiam; contra reponetur, homines habituros tristitiam non solum ex consideratione suorum damnorum, & aliorum malorum de quibus dolebant etiam daemones; sed etiam de acerbissimo dolore quem patientur ab igne, quam tristitiam daemones non habebunt. Vnde omnibus consideratis, homines non minorem sed maiorem tristitiam videntur habituri quam daemones, si isti dolorem non habebunt. Hinc alij sentiunt, etiam daemones ab igne passuros non solum tristitiam, sed similem quoque dolorem, qualem patientur anima in corpore. Cui sententiae accedit

Dominicus Soto in 4. d. 50. a. 2. vbi conuictus Scripturis & Patrum sententiis, dicit animam separatam & daemones similem tristitiam passuros ab igne, qualem anima in corpore patiuntur dum corpus videtur. vbi tamen Sotus non videtur admittere dolorem in anima, sed solum tristitiam qualis ex dolore corporis percipi solet, quali ille dolor non esset in anima. Eandem clarius tenet Henricus Quodlibeto 8. q. 34. et eius explicatio non omnino probetur.

218 Vt autem haec sententia aliquo modo declararetur, quaedam supponenda quae à multis Philosophis probata, vel experientia nota. Primo, ignem vi sua naturali posse efficere dolorem in anima rationali dum est in corpore, et experientia constat; non tamen modo posse in ea producere calorem; sed hic manet foris extra animam, nempe in corpore; dolor tamen vi caloris resultat in anima. Secundò, Hunc dolorem non esse in corpore tamquam immeditato subiecto, quia est actus vitalis qui immediatè debet procedere à principio vitali, & in eo recipi. Vnde ipsa anima est quae dolet, quae sentit, quae videt, &c. corpus verò solum est medium & instrumentum per quod externa obiecta aptantur, modificantur,

Yyy 3 &

Si daemones non patientur dolorem sicut anima, sed solum tristitiam, afflictio eorum erit dimidiata.

Explicatur quo modo possit conceptus spiritus ab igne pati.

& ad animam transmittuntur, vt via naturali possit hæc percipere. Tertiò, Vim percipiendi obiecta externa, quam sensum vocamus, non esse quid distinctum ab anima, sed ipsam animæ essentiam consideratam quatenus hæc vel ipsa percipere potest, vt multi hoc tempore docent: estque multorum Patrum & Scholasticorum sententia. Vnde hanc vim secum defert cum corpore recedit, etiam si fortè naturaliter ea vti non possit. Cum enim anima sit infimus spiritus, habet hanc vim percipiendi infirmam, ita vt naturaliter ea vti non possit, nisi organi corporei adminiculo, per quod obiecta ad illam transmittantur. Quartò, In dæmonibus & Angelis non solum esse vim intelligendi, qua obiecta externa intelligendo cogitent vel speculentur, sed etiam percipiendi modo sensibili ipsis obiectis accommodato, etsi longè perfectius, & ex maiori interuallo quàm homines possint percipere. Si enim in anima rationali separata talis vis posita, quæ tamen propter imperfectionem egeat instrumento corporali; videtur rationi consentaneum, vt etiam in spiritibus anima perfectioribus ponatur hæc vis, etsi longè perfectior, ita vt instrumento corporeo non egeat: quæ tamen vis à vi intelligendi re ipsa non differat, sed sit ipsamet, quatenus eminentiori modo circa obiecta illa præstat, quod præstat sensus in corpore & per corpus. Confirmatur: Quia etiam in spiritibus aliud est intelligere essentiam vocis vel soni, aliud est vocem & sonum audire, & experientia cognoscere: aliud cernere naturam caloris & frigoris, aliud calorem & frigus sentire & experiri; non quod spiritus possint in se calorem vel frigus recipere, sed quia actu vitali & proprio illorum præsentiam possint experienda percipere. Quintò, Etiam si res corporales seu obiecta externa per se vt causa integra non possint in spiritum naturaliter agere, aut illi aliquam qualitatem imprimere, tamen possunt concurrere vt causa partialis vnà cum potentia vitali ipsius spiritus ad producendum in ipso actum vitalem, vt multi Doctores eradunt, præsertim qui species negant, & admittunt actionem in distans.

His positis, posuerimus ita ratiocinari: Si ignis naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis vt instrumentum Dei non poterit affligere eundem spiritum sine vlllo corpore mediò? Corpus enim solum se habet vt medium, per quod immediatè calor spiritui applicatur, vt eius presentia vi sentiendi percipiatur. Deus autè non eget aliquo medio, sed faciliè omnem mediij effectum & defectum supplere potest.

Dices,

Vide P. Hurtado in de-
ctimo O-
pero De an-
ima disp. 4.
Augustinus.
Bernardus.
Scotus.
Bonavent.
Gregorius.
Occamus.
Gabriel.

Dices, Non idè anima affligitur quòd calor ipsi applicetur, sed quia corporis temperies violente dissoluitur, & corpus destruitur, cui animus naturaliter erat vnita: vnde per sympathiam quam habet cum corpore, sentit corporis malum. Sed contrà: Hoc enim est contra doctrinam S. Thomæ & aliorum Doctorum, qui dicunt animas resumptas corpore per solas species intentionales caloris affligendas, absque vlla corporis alteratione aut calefactione: Ergo iuxta horum sententiam, quòd anima tantum dolorem percipiat, non est ex eo quòd temperies corporis dissoluatur, sed est ex repugnantia quadam intrinseca illius obiecti in illo excessu considerati, cum sensu & natura illius substantiæ viuæ. Deinde, etiam si corpora damnatorum calore sint alteranda, non tamen dissoluentur, nec temperies destruetur, ergo dolor non est ex eo quòd vi caloris corpus dissipetur. Denique, quædam venena statim dissoluunt temperiem, & tamen modicum vel nullum dolorem inferunt. Itaque quòd excessus caloris tantum dolorem inferat spiritui humano, provenire debet ex aliqua naturali repugnantia ad illum spiritum. Quod si ita est, dicendum erit, animam à corpore suo separatam, si diuina virtute includatur igneo corpori, non minorem dolorem, percepturam, quam si in suo corpore esset, & illud totum arderet.

*Non idè prae
cisè patitur
anima dolo-
rem quòd
temperies
suis solua-
tur.*

Dicit forte aliquis, vim sentiendi seu percipiendi obiecta modo sensibili in spiritibus, esse subiectam illorum libertati quoad usum; ita vt possint ea non vti si velint, & consequenter impedire ne obiecta externa agant concurrente cum illa vi ad actum vitalem: & sic, si velint, nihil doloris percipient. Respondeo, id esse valde credibile, spectata natura conditione eorum; vnde naturaliter non possunt pati à rebus externis, præsertim inuiti: diuina tamen virtute coguntur ea percipere, etsi maxime voluntate renitentur: hoc enim necessarium est ad eorum punitionem.

*illa vis est
subiecta illor-
um libertati.*

Rursum vltimus ita possumus ratiocinari: Si ignis naturaliter vim habet affligendi spiritum infimum, nempe animam humanam, siue in corpore siue extra corpus, id modo non refert; ergo diuina virtute ita poterit eleuari, vt etiam superiores spiritus, nempe demones, affligere possit. Vbi enim est vis aliqua naturalis, etsi imperfecta, ad aliquem actum; ibi locum habet eleuatio ad actum eiusdem generis perfectiorem & superioris ordinis. sicut quia in intellectu nostro est vis aliqua imperfecta cognoscendi spiritus & Deum ipsum, potest eleuari diuinitus ad cognoscendum clarè natura

turas

turas spirituales, & ad videndum Deum. Itaque ignis ita poterit à Deo eleuari per singularem concursum, & agat in dæmones, sic vt vnà cum potentia illorum vitali, qua externa obiecta modo sensibili percipere possunt, ignis immediatè producat sensum caloris, & dolorem hinc resultantem, simili ferè modo quo in nobis. Magis sanè ad hoc videtur aptus ignis, quàm ad producendam speciem intelligibilem, vel cognitionem actualem sui, vel qualitatem aliam spiritalem spiritui incongruam, vt alij DD. ponunt, cum videamus ipsum naturaliter dolorem in anima producere.

Ex his patet, quomodo hæc pœna concipi possit. Sicut enim anima rationalis, naturæ vi ita coniungitur suo corpori, vt se ab illo diuellere nequeat: ita ipsa & cuius spiritus ipsi similis, et si perfectior, virtute diuina alligari potest corpori igneo, ita vt se ab illo non possit vllò modo expedire. Neque hoc difficile est intellectu: cum enim ipse sit omnipotens & intimè præsens omnibus corporibus & spiritibus, assidue omnia creans & formans; promptum ei est spiritum corpori applicare; & insolubili vinculo spiritali adstringere, sicut reus fune vel catena, cippæve trunco in carcere alligari solet. Deinde, sicut anima in corpore existens, statim naturaliter sentit ardorem qui corpori imprimitur, & vehementem dolorem, quia naturæ eius aduersatur, simul cum tanto calore quasi penetratiuè in eodem corpore vel spatio existere: ita ipsa vel alius spiritus alligatus corpori igneo, & simul penetratiuè cum illo in eodem spatio existens diuina virtute id agente statim sentit ardorem illius corporis, & ingenti dolore afficitur. Quò sensu videtur dictum à S. Augustino, *spiritus adherendo corporalibus ignibus, miris & insensibilibus modis inde accipere partem seu dolorem*, vt supra dictum est, & illud à S. Gregorio, *animas diuitis non solum videndo, sed etiam experiendo pati incendia*. Quid enim est aliud pati incendia & experiendo, quàm pati dolores incendij seu ignis, quales in hac vita pati solet?

¶ Dices: Dæmones hoc tempore non sunt alligati ignibus corporalibus: ergo non patiuntur hanc pœnam ignis. Respondeo: Est valdè credibile sit, eos quibus concessum egredi & liberè vagari per aërem, nondum esse alligatos igneo corpori cui deputati, alioquin hæc ab hominibus quibuscumque agunt posset percipi, nec ipsi omnia possent penetrare, &c. tamen etiam valdè verisimile est, eos non carere modo pœna ignis. Nam fieri potest, vt vbiicumque ipsi sint, ignis inferni dolorem in eis, concurrente simul eorum potētia

Dæmones etiam extra infernum patiuntur pœnam ignis.

tia vitali (vt dictum est) pariat, cum agat vt instrumentum Dei. Si enim astra per tot miliones milliarij possunt naturaliter agere in res inferiores; cur ignis inferni, vt instrumentum Dei, per mille leucas non possit agere in demones, eisq; dolorem imprimere? Ex hoc modo melius intelligitur Glossa Iacobi 3. cum ait, *demones, vbique que sint, ignem gehenna secum ferre*, nimirum quia dolorem eius vbique sentiunt, quam quia vbique cogitant se aliquando isti igni alligandos, vt quidam explicant.

Hæc de modo quo spiritus ab igne pati possint: quæ non asserendo, sed inquirendo & disputando à me dicta sint, vt Lector hunc modum consideret & examinet: natura enim spirituum nobis est obscurissima; & magis ex Scripturis & Patribus quid agere & pati possint, quam ex Aristotelis suppositionibus inuestigandum: valde etiam obscurum & inexplicabile, quomodo anima nostra, quæ purus spiritus est, corpori deuincatur, eiusq; passiones tam opere sentiat. Denique quomodo res externæ cum potentiis animæ ad sensum & dolorem in anima excitandum concurrant. Multa in his nunc puto latere, & postea deprehensum iri à nobis in altera vita, quæ modò ne suspicari quidè possumus. Hactenus de Iustitia.

CAPVT XXXI.

Recollectio precatória de Iustitia.

221 **Q**UIS nouit potestatem ire tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare? quis dignè expendere suppliciorum magnitudinem & multitudinem quæ peccatoribus præparasti, & per tuam omnipotentiam illis suo tempore irrogabis? Sicut enim infinita est misericordia tua, ita & iustitia tua: quæ etiam innumeris modis non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsentī (quod tamen proprie est sæculum misericordiæ) contra peccatores se patefecit, vt omnes te timere discant, & quos benignitas tua non mouet, saltem moueat seueritas. Declarasti iustitiam & nam tuam contra peccatum, quando tot millia angelorum (qui incomparabiliter omnibus hominibus sunt præstantiores) propter vnum peccatum de celo in tartarum deturbasti, & æternis suppliciis subiecisti, nulla spe veniæ relicta: non tibi cordi fuit, quòd illi tanto essent numero, tanta naturæ excellentia & pulchritudine, tanto ingenio & rerum omnium notitia præditi: nec curasti omnem laudem, benedictio-

2. Petri 2.
Epist. Iudæ.

Zzz

dictio-

dictionem, gratitudinem, honorem & gloriam, quæ tibi ab illis in omnem æternitatem prouentura erat, si illis hæc culpam condonasses. Maluisti tantum & operis tui pulcherrimi, & gloriæ tuæ quæ ab ipso tibi obuenisset, damnum sustinere, quàm unicum illud peccatum condonare. Rursum eandem ostendisti, quando totum genus humanum propter peccatum primorum parentum iustitiâ originali, & primi status felicitate spoliasti, ac innumeris miseris simul & morti addixisti. Ex qua pœna iam antè prouidebas fore, vt infinita hominum multitudo damnaretur, & vix centesimus quisque salutem obtineret. Hoc tamen totum propter primum illud parentum peccatum permittere in posteris voluisti. Quis non exspauescat ad tantam iudiciorum tuorum abyssum? Verè magnus Dominus, & æstribilis nimis, infinite supra omnia eleuatus & supereminens, ad omnem laudem, gloriam & beatitudinem tibi per te sufficientissimus, nec nostris vel Angelorum obsequiis & laudibus egens; sed hoc tantam postulans, vt obediatur voluntati tuæ.

Demonstrasti quoque contra peccatoris iram tuam, quando inundante diluuiò peccatorum, induxisti diluuium aquarum, quo totum genus humanum, præter octo homines in mundi seminarium reseruos, deleuisti, & terram sceleribus contaminatam expiasti. Iterum quando sulphure ardente cælitus immisso Sodoma & vicina oppida cum suis incolis funditus deleuisti, æterni incendij post mortem peccatoribus præparati speciem in hoc sæculo hominibus exhibens. Simili modo quadringentis post annis ira tua defæuit in Ægyptios iniqua seruitute populum tuum prementes, quos in obstinatione vnâ cum suo Principe persistentes, post maximas & admirabiles classes, mari Rubro demersisti. Neque populo tuo quem ex toto genere hominum peculiariter tibi delegeras, pepercisti; iubens vt rebelles vel terra deliscente absorberentur, vel igne cælitus immisso cremarentur, vel gladiis confoderentur; omnibus ob peccatum murmurationis per quadraginta annos in arenis & locis horridis detentis & circumductis. Deinde sub Iudicibus sexies ob peccata sua ab hostibus subacti, & seruitute variisque calamitatibus oppressi. Denique peste, fame, bello, incendiis, tempestatibus, eluionibus, terræmotibus aliisque flagellis genus humanum propter peccata sapissimè castigasti, vt nulla fuerit natio hisce miseris exempta. Sicut enim nusquam desunt peccata, ita par est vt nusquam etiam desint flagella, quibus pec-

Genes. 2.
Rom. 5.

Genes. 7.

Genes. 19.

Exodi 7. 8. 9.
10. 14.

Num. 16.
Psal. 105.
Exodi 32.
Num. 14.

peccata castigentur, vt homines manum tuam sentientes resipiscant, & ad officium redocentur.

223 Neque solum externis istis calamitatibus peccata vindicas, sed etiam internis & spiritualibus, dum lucem & protectionem gratia tua peccatoribus subtrahis, & permittis eos a diabolo ad omnem nequitiam impedi. Hoc supplicium maxime formidabile, & potè damnationi aeternae propinquissimum. Sic per aliquot annorum millia permisti gentes (hoc est totum ferè mundum) ingredi vias suas, & diabolum tamquam huius saeculi principem ac Deum obtinere regnum, & instar Dei in mundo coli & adorari. Sic etiam dilectam olim plebem tuam, propter sua scelera (praesertim quia charitatem veritatis repulerunt, insuper & ipsam veritatem occiderunt) à te repulisti, subtracit gratia tua, & operatione erroris in eos daemionibus permitta. Simili modo multa Christianorum Regna propter peccata, & maxime propter haeresim, à te derelicta, & infidelibus vel daemionibus tradita. Haec sunt iudicia iustitiae tuae, haec impiae desertionis stipendia, nimirum vt qui te & doctrinam tuam deserunt, à te deserantur, & daemionibus illudendi permittantur, vt tenebras putent lucem, & lucem tenebras, bonum & spurant tamquam malum, & summum malum amplectantur pro summo bono. Et si enim hoc flagellum in hac vita sit omnium maximum; quia tamen non videtur nec sentitur, non aestimatur, neque flagellum reputatur, sed beneficium: quod summum miseriae est argumentum.

224 Multa modis aliisque in hac vita peccata castigas, & iram tuam ac iustitiam ostendis. Quae vero supplicia, quas afflictiones & miseriae in altera vita (quando irae tuae laxabis habenas, nec amplius eam continebit misericordia) peccatoribus praeparasti, quis explicet? Ibi carcere profundo & omni horrore plenissimo concludentur; ibi in stagnum sulphureum igne exaestuans demergentur; ibi corpora ipsa in cumulum congelata instar lignorum aridorum in medio sulphuris stagno ardebunt; ibi fletus & stridor dentium praedoloris immanitate & impatientia; ibi daemionum horrenda monstra igneis corporibus induta in miseros saevient; ibi summi in corpore dolores, summae in sensibus omnibus afflictiones; ibi in anima ex consideratione infiniti damni, & tantorum malorum, praesertim aeternitatis (per quam totam haec omnia damna & mala sine vlla mitigatione durabunt) incomprehensibilis tristitia & desperatio. O aeternitas! in bonis infinitum bonum, in malis infinitum

tum malum! quantum malum, quàm horrendum & intolerabile, ardere in fornace vel per unum diem? quantum per annum? quantum per centum annos? quantum per mille, per centum millia annorum? Quantam tristitiam animo conciperes, si per centum millia annorum ardere deberes? at si accesserit aeternitas, supplicium hoc erit infinite maius, infinite peius, & incomparabiliter maiorem animo tristitiam tibi pariet. Quanta debet esse tristitia illa quae incomparabiliter maior & grauior est, quàm tristitia quae ex incendio centum millium annorum subeundo conciperetur? Quis ista perpendens non perhorrescat? quis non libenter, vt tanta mala euadat, & in seculo peritu se constituat, voluptates, honores & diuitias huius mundi contemnat, & aeternam salutis viam capessat? quis summam non ducat fatiditatem, ob res terrenas & momentaneas, immensi & aeterni mali periculo se exponere?

Rogo Domine per infinitam bonitatem & misericordiam tuam, ²²⁵ per merita & mysteria sanctissimae humanitatis tuae, vt auertas à me fatiditatem istam, & mentem meam lumine tuo & salutari sapientia electorum tuorum perfundas, quia peccati, quod tanta culpa meretur, grauitatem clariùs cognoscere, & miseras illas acri cogitatione crebrò possim reuoluere; vt salubriter expendam quantum sit oceanus malitiae in quouis peccato mortifero, ex quo in animam & corpus exundat tantum pelagus miseriarum, & tanto studio coner illud vitare, & tibi placere, quanto par est vt summum malum fugiam, & ad summum bonum contendamus.

D E